



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve**

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post  
Præfationem Indicantvr

**Suárez, Francisco**

**[Köln], 1619**

10 Vtrum recedente fictione, Baptismus obtineat effectum suum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

lit baptizari, non credens Baptifmum aliquid esse, volens tamen accipere quidquid ille fit, vt in superioribus tractatum est. Secundus modus fiftionis dicitur esse per contemptum ipsius sacramenti, qui tantus esse potest, vt excludat intentionem suscipiendi sacramentum, atque ita fit fiftio contraria veritati sacramenti, vt si quis velit exterius baptizari, non tamen verum sacramentum suscipere, solum vt illud sit sacramentum, & in irreuerentiam eius: aliter tamen potest hæc fiftio esse contraria effectui tantum, vt si quis velit suscipere sacramentum sine debita dispositione, quia pro nihilo ducit, illam iniuriam facere sacramento, neque in hoc vult recognoscere dignitatem sacramenti, ad illud se digne preparando. Tertius modus, ait Diuus Thom. est per hoc, quod aliter celebrat sacramentum, non seruans ritum Ecclesiæ, quod quidem magis videtur ad ministrum, quam ad suscipientem pertinere, potest tamen in suscipientem redundare, si ipse velit eo ritu accipere, aut ministrum inducat, aut alio modo cooperetur illi, erit autem hæc fiftio sacramento contraria, si mutatio illa fit in ritu essentiali: si vero sit solum in accidentali, erit tantum contraria effectui, dum modo fit in re graui, quæ ad peccatum mortale sufficiat. Vnde constat, omnes hos fiftionis modos, quod ad rationem fiftionis attinet, esse materialiter diuersos, posseque in infinitum multiplicari iuxta varia peccatorum genera. Quartus ergo modus est proprius formalis, atque vniuersalis scilicet, quando quis in deuote accedit. Declarat autem D. Thomas in solutione ad 3. in deuote accedere, idem esse, quod suscipere sacramentum cum voluntate ad hærentem alicui peccato mortali, vbi statim occurrit difficultas, qualem necesse sit esse huiusmodi intentionem, & an interdum sufficiat solum originale peccatum, sed de hac re differemus disputatione sequenti.

ARTICVLVS X.

Vtrum fiftione recedente, Baptifmus suum effectum consequatur.

**A**D decimum sic proceditur. Videtur, quod fiftione recedente, baptifmus suum effectum non consequatur: Opus enim mortuum, quod est sine charitate, non potest vnquam viuificari. Sed ille, qui fiftus accedit ad Baptifmum, recipit sacramentum sine charitate. Ergo nunquam potest viuificari hoc modo, vt gratiam conferat.

2. Præterea, fiftio videtur esse sortior, quam Baptifmus cum impediatur eius effectum. Sed sortior non tollitur a debilitati. Ergo peccatum fiftionis non potest tolli per Baptifmum fiftione impeditum. Et sic Baptifmus non consequetur suum effectum, qui est remissio omnium peccatorum.

3. Præterea, contingit, quod aliquis fiftile accedat ad Baptifmum, & post Baptifmum multa peccata committat, quæ tamen per Baptifmum non tollantur, qui a Baptifmo tollit peccata præterita, non futura. Ergo Baptifmus talis nunquam consequetur suum effectum, qui est remissio omnium peccatorum.

Lib. 1. de Baptifmo con. Tunc valere incipit ad salutem Baptifmus, cum illa fiftio veraci confessione recesserit, que corde in malitia vel sacrilegio

perseuerante peccatorum abluitionem non sinebat sic i. Respondeo dicendum, quod (sicut supra dictum est) Baptifmus est quædam spiritalis regeneratio. Cum autem aliquid generatur simul cum forma recipit effectum forma, nisi sit aliquid impediens, quo remoto forma rei generate perficit suum effectum, sicut simul cum corpore graue generatur, mouetur deorsum, nisi sit aliquid prohibens, quo remoto, statim incipit moueri deorsum. Et similiter, quando aliquis baptizatur, accipit characterem quasi formam, & consequitur proprium effectum, qui est gratia remittens omnia peccata, impeditur autem quandoque per fiftionem, vnde oportet, quod remotæ ea,

per penitentiam Baptifmi statim consequatur suum effectum.

Ad primum ergo dicendum, quod sacramentum Baptifmi est opus Dei & non hominis. Et ideo non est mortuum in fiftio, qui sine charitate baptizatur.

Ad secundum dicendum, quod fiftio non remouetur per Baptifmum, sed per penitentiam subiequentem, qua remota Baptifmus auferit culpam & reatum omnium peccatorum præcedentium Baptifmo, & etiam simul existentium cum Baptifmo: Vnde Augustinus dicit in libro de Baptifmo parvulorum. Solutur hesternus dies, & quidquid superest soluitur, etiam ipsa hora momentumque ante Baptifmum, & in Baptifmo deinceps autem continuo res esse incipit. Et sic ad Baptifmum effectum consequendum concurrunt Baptifmus & Penitentia, sed Baptifmus sicut causa per se agens. Penitentia sicut causa in se per accidens, id est, remouens prohibens.

Ad Tertium dicendum, quod effectus Baptifmi non est tollere peccata futura sed presentia vel præterita. Et ideo recedente fiftione, peccata sequentia remittuntur quidem, sed per Penitentiam, non per Baptifmum. Vnde non remittuntur quantum ad totum reatum, sicut peccata præcedentia Baptifmum.

COMMENTARIVS.

**M**ateria huius articuli amplissima est, & difficultas, tam in reddenda propria ratione, & necessitate huius effectus, qui vt D. Thomas docet, tribuitur ratione Baptifmi fiftile recepti, recedente fiftione, quam in explicando modo, quo hic effectus recedat, & quomodo fit tollenda fiftio: quod D. Thom. attingit in solutione ad secundum & tertium: quapropter de his statim fusius agemus. Circa contextum autem Diui Thomæ dubitat Caietanus de illa proportionem, qua comparantur character & gratia, formæ & proprietati, seu perfectioni, quæ consequitur formam: nam potius gratia videtur se habere, vt precipua forma in esse supernaturali: character autem est veluti dispositio, vel certe tanquam proprietates quædam, quæ consequitur gratiam, medio sacramento. Sed non oportet multum immorari in huiusmodi congruentiis, quæ solum fundantur in analogia quadam & proportionem. Non est ergo mens Diui Thomæ in re ipsa gratiam ex natura sua consequi ad characterem, tanquam ad formam: nam constat, non ita esse, vt probat ratio facta, & quia character solum est signum quoddam commune bonis & malis: tamen quia hoc signum datum est, vt homines consecrentur in membra Christi, & profiteantur legem eius: gratia vero datur, vt sint viua membra, & vt per eam iuuentur ad iugum Christi ferendum: ideo ex intentione Christi instituentis, gratia semper comitatur characterem, si ex parte suscipientis non sit impedimentum: atque hoc satis est ad dictam proportionem.

DISPUTATIO XXVIII.

De dispositione ad effectum baptifmi necessaria, & varietate effectus, quæ inde consequitur.

**D**istquam dictum est de effectu baptifmi, & de necessitate talis causæ ad huiusmodi effectum, dicendum sequitur de necessitate emanationis talis effectus à tali causa, scilicet, an semper ab illa prodeat, vel possit interdum impediri: vnde consequenter constabit, an hic effectus sit semper omnino idem, & inuariabilis, an vero possit maior & minor inueniri: totum autem hoc pendet ex dispositione recipientis: & ideo ab hac quæstione incipiendum nobis est.

SECTIO I.

Verum baptismus requirit aliquam dispositionem ad suum effectum.

Q uæstio hæc solum habet locum in adultis, ut supra notavi: nam infantes non sunt capaces dispositionis propriæ: per infantes autem intelliguntur omnes, qui nunquam ratione uti potuerunt, etiam si grandioris ætatis sint: & è conuerso adulti dicuntur omnes, qui aliquando habuerunt usum rationis, quamuis contingat esse amentes vel furiosos eo tempore, quo baptizantur. Rursus mouetur questio de effectu gratiæ sanctificantis, & remissionis peccati, atque aliorum donorum, quæ ad hunc ordinem spectant: nam de effectu characteris certa res est, nullam postulare dispositionem præter voluntatem suscipiendi sacramentum: quia hæc voluntas sufficit ad veritatem sacramenti: non potest autem esse verum sacramentum baptismi, quin conferat effectum characteris: hæc enim de causa iterari non potest, & ideo non potest maior dispositio requiri ad effectum characteris, quam ad veritatem sacramenti. Nos autem supponimus verum sacramentum suscipi, & consequenter hominem accedere cum sufficienti voluntate recipiendi sacramentum: atque ita recipere characterem eius: inquirimus autem, an ad recipiendum ulteriorem effectum alia dispositio necessaria sit.

Addo præterea, totam quæstionem esse de dispositione voluntatis: nam inter Catholicos, imò etiam inter hæreticos nulla controuersia est, quin ex parte intellectus, sit necessaria fides: quia, ut ad Hebræos 11. inquit Paulus, sine fide impossibile est placere Deo: est enim totius iustitiæ fundamentum, & ideo Christus Dominus Matthæi ultimo, præcipit discipulis, ut prius docerent omnes gentes: deinde eos baptizarent: quia necesse est, ut fides antecedarat baptismum: fides autem est ex auditu, ac simili modo Marci ultimo dixit Christus, Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: est ergo necessaria fides, & illa sine dubio sufficit ex parte intellectus. Difficultas solum est, an ex parte voluntatis aliqua alia dispositio requiratur. Lutherani negant: quia putant fidem sufficere ad omnem iustitiam: quod in præsentis confirmant ex citatis verbis Marci ultimo; Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. In quibus præter baptismum, nihil aliud ad salutem postulatur, nisi fides. Nonnulli etiam ex Scholasticis solum requirunt ex parte voluntatis, ut actualiter non sit affecta alicui peccato mortali, & quod velit subdi baptismum, & recipere illum. Ita solet tribui Scoto in 4. d. 14. q. 4. art. 3. ubi inquit, non requiri, nisi voluntariam susceptionem baptismi sine fictione: hoc est, cum intentione suscipiendi, quod confert Ecclesia, & sine actu, vel voluntate peccati mortalis. Et quamuis inferius videatur requirere motum aliquem displicentiæ seu attritionis, tamen non loquitur de sacramento baptismi, sed penitentiam: in quo videtur aliquid amplius exigere, quam in baptismo: fauet etiam Caietanus infra q. 86. artic. 2. dubio vlt. circa solutionem ad primum. Vbi dicit, in baptismo requiri propositum emendæ: in qua ratio formalis penitentiam consistit: sed baptismum, in quantum includit voluntatem suscipiendi ipsum in remissionem peccatorum, includere sufficiens propositum emendæ: quia qui vult subijci baptismum, & fatetur se peccasse, & detestatur priorem vitam, moriendo illi, & subijcit se Deo, ut nouum Christi membrum. Sentit ergo Caietanus, ipsam voluntatem suscipiendi baptismum in remissionem peccatorum esse virtualement penitentiam, & consequenter esse sufficientem dispositionem ad iustitiam per baptismum obtinendam. Franc. Suarez Tom. 3.

dam: & adducit Caietanus in confirmationem suæ sententiæ dictum Ambrosij ad Roman. 11. Gratia Dei in baptismo gratis omnia condonat, nullumque luctum requirit: sed Ambrosius ibi non dicit, hæc præstare baptismum sine vlla dispositione hominis. Magis videtur fauere lib. 3. de sacramentis, c. vlt. dicens, Qui venit ad baptismum, etiam si non confiteatur peccatum, in hoc ipso implet confessionem omnium peccatorum, quod baptizari petit, ut iustificetur.

Secunda sententia hic referri potest, quam docet Gabriel in 2. d. 32. qu. 1. ubi distinguit inter effectum remissionis peccati originalis, & infusionem gratiæ, ac remissionem peccatorum actualium: & ad primum effectum dicit sufficere voluntatem suscipiendi baptismum: ad alios vero requiri aliquam aliam dispositionem. Vnde infert, si quis accedat ad baptismum cum intentione suscipiendi illum, & cum complacentia alicuius peccati mortalis, consequi remissionem peccati originalis, non vero gratiam, nec remissionem peccati mortalis. Qua distinctione nihil cogitari potuit improbabilius, magisque contrarium Catholicæ doctrinæ. Constat enim peccatum originale non remitti sine infusione gratiæ, ut fere apertis verbis definit Conc. Trid. sess. 6. Vbi docet, peccatum, in quo homo nascitur filius Adæ non remitti, nisi per iustificationem, quæ est translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ in statum gratiæ & adoptionis filiorum Dei quam translationem dicit fieri in Baptismo per infusionem gratiæ, & donorum, tanquam per formalem causam. Atque hic fit peccatum originale nunquam remitti sine alijs peccatis mortalibus, ut plane supponit Concilium in tota illa sessione, & ideo indifferenter loquitur de remissione peccatorum, quæ hominem constituunt Deo inimicum, inter quæ computatur peccatum originale, nam est vera mora animæ, ut idem Concilium definit sess. 5. Can. 2. & ideo c. 5. concludit. Per Iesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in baptismo confertur, reatum originalis peccati remitti, ac tollitur id, quod veram ac propriam peccati rationem habet. Nulli ergo remittitur peccatum originale, nisi cui diuina gratia confertur, diuina autem gratia nullum peccatum mortale secum admittit: ergo remissio omnium peccatorum mortalium necessario coniuncta est cum remissione peccati originalis, ratione diuinæ gratiæ, & iustitiæ. Sic ut enim est certum, vnum peccatum mortale non remitti sine alio, quia nullum remittitur sine infusione gratiæ, cui quodlibet peccatum mortale regnat: ita non remittitur peccatum originale sine mortalibus: quia tam constituit hominem Deo inimicum, tanque per diuinam gratiam & sanctitatem tollendum est, sicut mortale. Repugnat igitur catholicæ doctrinæ, quod Gabriel ait de remissione originalis peccati sine mortalibus & sine infusione gratiæ, & consequenter etiam repugnat, aliquam dispositionem sufficere ad remissionem peccati originalis sine mortali, quædo illa duo coniuncta sunt. Nec Gabriel habuit probabile fundamentum ad illam distinctionem excogitandam: nullum enim inconueniens est illud, quod infert, aliquem esse vere baptizatum, cui non sit remissum peccatum originale propter obicem, quem posuit: nam licet ille sit regeneratus in Christo, quoad veram sacramenti susceptionem, & quoad impressionem characteris, qui propter hæc causam comparatur formæ per generationem inductæ, ut in Commentario artic. 10. diximus, non tamen necesse est, ut susceperit omnes effectus huius regenerationis, si ex parte subiecti non est sufficiens dispositio. Et in hoc est differentia inter generationem Adæ, & regenerationem Christi, nam generatio ex Adâ mo nunquam fit sine transfusione peccati, quam homo genitus impedire non potest, sed solus Deus singulari gratia præueniendo: at vero regeneratio in Christo non semper fit, cum infusione gratiæ, sed potest

2. Sententia.

Originale non remittitur sine alio peccato mortali.

Relictum Gabrielis sententia.

In quo differant generatio Adæ, & regeneratio Christi.



test ab ipso suscipiente impediri, & ratio differentiae est clara, quia regeneratio in Christo spiritualis & voluntaria fit per propriam regenerati voluntatem, si sit capax illius, & ideo per eandem voluntatem potest ponere obicem effectui illius: at vero generatio ex Adamo est mere naturalis, & independens in se & in omnibus, quae per illam comunicantur à propria voluntate ipsius geniti, & ideo non potest per illam impediri transitus peccati. Maiori quidem probabilitatis specie posset haec distinctio in hunc modum assignari, dupliciter enim posset adultus ad Baptismum accedere, vno modo cum solo peccato originali absq; vlllo actuali mortali, non enim repugnat, a liquem peruenientem ad vsum rationis perseverare aliquo tempore sine peccato mortali, & sine sufficienti preparatione ad gratiam: potest enim habere ignorantiam inuincibilem fidei, & legem naturalem aliquo tempore seruare, alio modo potest adultus accedere ad Baptismum in peccato mortali. In priori ergo videtur sufficere voluntas Baptismi ad consequendam gratiam & remissionem peccati originalis, quia illi non est necessaria poenitentia, cum per voluntatem suam non se auerterit à Deo, neq; conuerterit ad creaturam, ergo sufficit voluntaria acceptatio gratiae, hanc vero habet hoc ipso, quod voluntarie acceptat Baptismum: nam qui vult causam, vult & effectum eius: cui, quantum est in se, obicem non ponit, in alio vero homine, qui habet peccatum mortale, haec voluntas sine alia dispositione non sufficit etiam ad peccati originalis remissionem, non quia ipsum inter se maiorem dispositionem requirat, sed quia remitti non potest sine peccato mortali, quod sine maiori dispositione remitti non potest, quia oportet, vt voluntas, quae per proprium motum peccato adhaerit, per proprium etiam actum à peccato discedat, vt iam latius ostendemus. Atque haec sententia & distinctio sic explicata non multum, vt existimo à veritate discrepat: ea tamen magis declarare & confirmare oportet.

*Qua dispositio requiritur in peccatore adulto ad baptismum.*

*Scotus. Vega. Cordub.*

*Luc. 13.*

*Petrus. 2. Io. Bapt.*

*Matt. 3. Luc. 3. Chrys. August.*

Vnde dico primo, In adultis, qui cum peccato originali habent coniunctum aliquod peccatum mortale, praeter voluntatem suscipiendi Baptismum necessaria est aliqua alia voluntatis dispositio, quae consistit in aliqua conuersione ad Deum cum detestatione, seu poenitentia prioris vitae. Conclusio haec iam est certa de fide, eamq; docent omnes Scholastici hic, d. 4. & 5. à quibus non discrepat Scotus, vt late ostendunt Vega, lib. 9. in Trid. cap. 15. & lib. 13. cap. 33. & 34. Cord. libr. 1. Theologi. quaest. quaest. 2. expresse enim dist. 4. quaest. 5. dicit esse factum ad recipiendum effectum Baptismi, qui accedit cum peccato mortali, vel actu praesente, vel praeterito, de quo nullo modo arretitur, vel conteritur, in alio autem loco, licet non satis rem explicet, non tamen docet contrarium, & semper requirit ad effectum sacramenti, quod non fit actu, vel voluntate peccatum mortale, quamdiu autem peccatum prius commissum nullo modo duplicet, potest dici esse in voluntate, quamuis non sit in actu, neque etiam existimo, Caieta sensisse contrarium, licet obscure satis loquatur, vt postea exponam. Probat ergo conclusio, primo ex scriptura & Patribus, nam ei qui peccauit mortaliter, poenitentia est medium ad salutem necessarium, iuxta verba Christi, Luc. 13. Nisi poenitentiam egeritis, omnes simul peribitis. Est ergo haec dispositio necessaria omnibus peccatoribus, etiam baptizandis, & ideo Petrus Act. 2. dicebat. Poenitemini, & baptizetur vnusquisq; vestrum. Et Ioan. Bapt. praeparans viam ad Baptismum in Christi, initium fecit à praedicatione poenitentiae, & Baptismum dabat in remissionem peccatorum Matt. 3. Luc. 3. vt optime tractat Chrysost. hom. 11. in Matt. Hinc Aug. lib. de vera & falsa Poenitentia c. 18. Baptismus, inquit, sine poenitentia nunquam profuit ei, qui peccauit spontaneè, & lib. de Poenitentiae medicina. c. 2. vbi habet illam sententiam, Omnis, qui vo-

luntatis suae factus est arbiter, cum accedit ad sacramenta fidelium, nisi cum veteris vitae poenitentia, nouam inchoare non potest, & infra: Ab hac poenitentia solus qui baptizatur, pueri immunes sunt. Similia docet lib. de fide & operibus c. 6. & sequentibus, & epist. 48. & 118. & libro quinquaginta homiliarum, homil. 27. & 50. & sermone 11. ad fratres in heremo. O compunctio sancta, sine qua adultis non prodest Baptismus, sine qua infructuosa est omnis confessio. Vnde Fulgentius libro de fide ad Petrum c. 30. Firmissime tene, & nullatenus dubites, exceptis illis, qui pro nomine Christi suo sanguine baptizantur, nullum hominem accepturum vitam aeternam, qui non hic à malis suis fuerit per poenitentiam fidemq; conuersus, & per sacramentum fidei, & poenitentiae, id est, per Baptismum liberatus. Et maioribus quidem necessariū esse, & poenitentiam de malis suis agere, & fidem Catholicam secundum regulam veritatis tenere, & sacramentum baptismatis accipere. Tandem Conc. Trident. sess. 6. c. 6. & 7. describens primam iustificacionem, quae fit in homine adulto per baptismum in re, vel in voto, docet esse necessariam dispositionem ex parte eius per detestationem peccatorum & conuersionem in Deum. Et sess. 14. cap. 1. docet, poenitentiam omni tempore fuisse necessariam ad salutem.

Dico secundo, si contingeret, hominem adultum accedere ad baptismum sine peccato mortali cum solo originali, non esset illi necessaria poenitentia aliqua, sed sufficeret voluntas ac propositum profuturi & seruandi legem Christi. Propono hanc conclusionem sub forma conditionali: quia, moraliter ac regulariter loquendo, casus hic accidere non potest: praesertim, si vera est opinio D. Thomae, teneri hominem, quem primum peruenit ad vsum rationis conuerti ad Deum: ideoque, vel statim peccare mortaliter, si, quod tenetur facere, omittit, vel iustificari, si faciat, quod tenetur: si autem teneamus (quod fortasse verius est) illud naturale praecipuum non statim vrgeri & obligare, sed aliquod tempus esse admittendum, pro quo possit conuenienter, & humano modo impleri: itemque post impletum illud praecipuum, quod sine fide impleri potest, non statim sequi iustificacionem: ac denique (quod consequens est) posse hominem esse aliquo tempore in peccato originali, priusquam, vel illius remissionem obtineat, vel mortaliter peccet: posset quidem eo tempore, & incipere credere, & ad baptismum suscipiendum accedere. Licet hoc verum sit, moraliter tamen vix potest accedere: quia necesse est, illud tempus esse valde breue: quia natura lapsa, non sanata per gratiam, non potest diu se continere, quin iterum atque iterum labatur: praesertim si sit sermo de homine non illuminato per fidem. Propter hanc ergo causam, non absolute, sed sub conditione loquimur: tamen quia casus non est simpliciter impossibilis, praetermittendus non est. Prior igitur conclusionis pars, quod scilicet huic homini non sit necessaria poenitentia, est expressa Augustini lib. de vera & falsa poenitentia, c. 8. vbi prius sic absolute scribit. Poenitentia baptizandis non est necessaria, sic baptizatis de maioribus & minoribus peccatis poenitentium est, quae verba, quoad priorem partem videntur cōtraria doctrinae traditae in prima assertione, tamen non possunt in eo sensu interpretari, ne Augustinus sibi ipsi in eodem contextu contrarius sit: statim enim subdit, adulto sine poenitentia non prodest baptismum, si spontaneè peccauit: igitur in illis prioribus verbis loquitur Augustinus de baptismo, praecise considerado id, ad quod fuit per se institutus: nā baptismus primo & per se ordinatus est ad tollendum originale peccatum: quod vero cū hoc, sint coniuncta mortalia, quae simul tollantur, est per accidens: hoc ergo sensu vere dicitur, baptismum per se non requirere poenitentiam: & hunc esse Augustini sensum, constat ex ratione, quam subdit: scilicet, quia ad tollendum originale pec-

se peccatum, quod non est propria voluntate contractum, non est necessaria penitentia: & eandem doctrinam repetit alijs locis supra citatis. Et ratio est clara, quia penitentia proprie est de peccatis ab ipso penitente commissis: est enim retractatio, & displicentia prioris voluntatis, quia ergo hic homo, de quo loquimur, propria voluntate non se auertit à Deo, & conuertit ad creaturam, ideo non est illi necessaria penitentia: quatenus proprie significat displicentiam prioris vite, aut propositum satisfaciendi Deo pro culpa commissa. Atque hac etiam ratione, si huiusmodi homo esset iustificandus per proprium actum absque sacramento, non indigeret dolore aut contritione: sed, ad summum, amore Dei super omnia cum proposito seruandi mandata: penitentia enim tantum necessaria prædicatur ijs, qui propria voluntate mortaliter peccarunt. Iam vero probanda superest vltima pars conclusionis: & in primis, quod huic homini adulto, licet non sit necessaria penitentia, sit nihilominus necessaria aliqua voluntatis dispositio ad iustitiam, optime probat ratio D. Thomæ hic artic. 9. quia Deus non iustificat adultum, nisi consentientem, & voluntate sua iustitiam amplectentem. Cum enim hæc iustitia includat veram ac propriam amicitiam inter Deum & hominem, vtriusque etiam voluntarium consensum postulat, si homo capax illius sit, & potens ad præstandum illam: est ergo necessaria aliqua dispositio, qua huiusmodi homo amplectatur, & baptismum, & baptismi effectum: non est autem exigendus ab huiusmodi homine amor Dei super omnia, vt effectum baptismi consequatur: nam etiam illi, qui mortaliter peccauit, non est necessaria tam perfecta dispositio, vt infra dicemus: ergo multo minus esse potest necessaria ei, qui non peccauit: ergo sufficere illi, aut imperfectus amor Dei ad concupiscentiam amorem spectans, aut (quod fere idem est) propositum obediendi Deo in omnibus, saltem spe retributionis, vel ob timorem pœnæ, vel denique propter intrinsecam honestatem præceptorum, seu cuiuscumque virtutis. Quælibet autem ex his videtur apta dispositio, iuxta necessitatem talis subiecti, & aliqua huiusmodi videtur necessaria: nam sicut in eo, qui peccauit, requiritur detestatio prioris vite, & propositum recte viuendi in futurum sub aliquo ex prædictis motibus: ita in eo, qui non peccauit, licet non requiratur detestatio, quia huius necessitas oritur ex priori peccato commisso voluntatis tamen conuersio aliqua ad Deum, vel saltem ad obedientiam eius, seu mandatorum obseruationem æque erit necessaria: quia hæc non exigitur ratione tantum peccati commissi, sed per se ad conuenienter instituentiam nouam vitam, & voluntarie amplectendam ipsam iustitiam.

Ex his satisfactum fere est omnibus, quæ inter referendas priores sententias adducta sunt, & circa posterioriorem quidem nihil addendum occurrit, præterquam quod hæc dispositio, quam dicimus esse per se necessariam, etiam secluso peccato mortali, non est sola voluntas suscipiendi baptismum, vt ibi significatur: nam hæc voluntas non est formale aut virtuale propositum amplectendi & sequendi iustitiam, ac seruandi mandata: quia cum illa voluntate baptismi potest esse formalis voluntas contraria iustitiæ: ergo oportet aliquam aliam voluntatem addere, præter voluntatem baptismi. Atque hac ratione etiam si velimus priorem sententiam, quæ ad iustitiam in baptismo obtinendam requirit solam voluntatem baptismi, explicare de baptismo per se, & secluso peccato mortali, vt supra de Augustino dicebamus, adhuc non est vera illa sententia, licet sit minus improbabilis: quia, licet in eo sensu sit verum non requiri penitentiam, vt dictum est: non tamen est verum, nullum alium actum voluntatis requiri præter voluntatem sacramenti. Quod si Caietanus (nam de Scoto iam diximus) arbitratu est, solam voluntatem Franc. Suarez Tom. 3.

tem baptismi esse virtualem penitentiam, aut virtuale propositum seruandi iustitiam, falsa est eius sententia, tamen, quia hoc non aperte dicit, posset exponi, vt per propositum emendæ intelligat propositum resarciendi iniuriam Deo factam per proprium actum: nam dicit in hoc proposito reperiri formalem rationem penitentia: constat autem, rationem formalem obiecti penitentia esse resarcire iniuriam Deo factam: huiusmodi autem propositum reuera non est ad baptismum necessarium: quia ibi non oportet, vt homo intendat, quod in se est facere, ad compensandam diuinam iniuriam: sed solum consequi remissionem culpæ per baptismalem gratiam. Nam si displicentia peccatorum est ibi necessaria, non tam est ad satisfaciendum Deo, quam vt subiectum sit conuenienter dispositum ad effectum gratiæ & remissionis peccati. Et quoad hoc, verum est, quod Caietanus ait, voluntatem suscipiendi baptismum in remissionem peccatorum, esse virtuale propositum emendæ pro peccatis, quoad culpam, & quoad pœnam, ratione tanti beneficii, quantum est baptisma: quod intelligendum est, quando illa voluntas est ita efficax, vt secum afferat reliqua omnia necessaria ad hoc beneficium obtinendum. Atque hunc sensum confirmat locus Ambrosij, quem Caietanus adducit: Ad Ambr. testimonium. Nam solum ibi negat requiri satisfactionem pro peccatis remissis in baptismo: quia omnia integre & gratiæ remittuntur, quoad culpam & pœnam, & consequenter etiam negabit, requiri voluntatem satisfaciendi formaliter ac proprio loquendo, non tamen inde fit, non esse necessariam displicentiam peccatorum, vt conuenientem dispositionem ad iustitiam. Non prætermittam autem aduertere, illud testimonium non videri esse Ambrosij: exponit enim ibi verba Pauli dicentis, dona Dei interdum esse sine penitentia: in hoc sensu, quod Deus aliquando dat sua dona sine penitentia, quæ expositio est indigna Ambrosio: nam planus sensus est, Deum non penitere eorum donorum, quæ suis confert creaturis. Ad aliud Ambrosij testimonium, responderetur primum: ibi solum asserere ad baptismum non esse necessariam confessionem peccatorum: sed hanc sufficienter impleri in hoc, quod baptizari quis petit, vt iustificetur. Deinde potissimum intendit docere, etiam si quis non habeat peccatum, quod confiteri oporteat, nihilominus illi esse baptismum necessarium, vt culpa ad gratiam transeat, & hoc modo ait, esse necessariam saltem illam penitentiam, qua sortem humanæ generationis homo cognoscat: non tamen dicit hanc penitentiam sufficere, si præter originale peccatum habeat homo propria peccata.

## SECTIO II.

Quam penitentia dispositio ad effectum baptismi consequendum sufficiens, ac necessaria sit.

In hac quæstione sermo solum est de homine adulto, qui habet mortalia peccata præter originale: nam de alio casu extraordinario hominis adulti accedentis ad baptismum cum sola originali culpa iam satis dictum est. Sunt ergo in hac re variæ sententiæ extremæ contrariæ. Prima affirmat requiri contritionem veram. Ita sentit Gabriel in 4. d. 4. q. 2. & dist. Gabriel. 14. q. 2. & Marfil. in 4. qu. 2. in princip. Eos secutus est Petrus Soto lectio. 4. de baptismo, & lect. 7. de penitentia: videtur fauere D. Tho. supra q. 68. art. 6. ad 3. dicens: baptismum requirere in adultis ad suum effectum actum virtutis penitentia: proprius autem actus virtutis penitentia est contritio: & in hac q. 69. artic. 1. arg. 2. cum solutione idem indicat, nam in argumento sumit, ad baptismum requiri penitentiam, quæ est sufficiens causa remissionis actualium peccatorum, & in solutione hoc videtur admittere: addens, in illa penitentia debere nunc includi votum baptismi, & infra q. 86. artic. 2. ad 1. dicit peccata

non remitti in baptismo sine actuali mutatione voluntatis, quod fit per poenitentiam, loquitur autem proprie de poenitentiæ virtute, cuius proprius actus est contritio. Simile habet in 4. d. 4. q. 2. art. 1. quaest. iunc. 1. & super ad Romanos 11. circa illa verba, Sine poenitentia sunt dona Dei: vbi dicit, in baptismo non requiri externam confessionem, sed internam contritionem.

*Fundamentum Tridentinum*

Fundamentum huius sententiae sumi potest ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 6. & 7. Vbi describens primam iustificationem adulti, quae fit per baptismum, ponit omnes actus, quibus necesse est disponi eum, qui per baptismum iustificandus est, & inter eos ponit amorem Dei, & dolorem de peccatis: sed hi actus sunt, qui contritionem peticiunt, ergo iuxta Concilij doctrinam contritio est necessaria dispositio ad iustitiam baptismalem obtinendam. Secundò possumus argumentari ratione: quia homo peccando se auertit a Deo, vt ab ultimo fine: ergo conuersio ad Deum, vt ad vltimum finem, qualis fit per amorem & contritionem, est ex natura rei necessaria ad remissionem peccati, & veram iustitiam recuperandam: Christus autem instituens baptismum non abstulit media ex natura rei necessaria, & maxime conuenientia ad iustitiam, sed perfecit & locupletauit illa, ergo tam est necessaria nunc illa contritio, quam semper fuit, ergo sine illa nihil potest prodesse baptismus. Atq; hic posset attingi communis illa difficultas de iustificatione, an auersio illa, quae per actuale peccatum vitali, & intrinseco quodam modo introducit, tolli possit absque vitali conuersione formaliter illi contraria, qualis est sola contritio, vel dilectio Dei super omnia. Sed de hoc alias. Secunda sententia conuenit cum praecedenti: contritionem, per se loquendo esse necessariam ad effectum baptismi: tamen ex accidente, propter ignorantiam inuincibilem posse minorem dispositionem sufficere, nimirum attritionem, existimata contritionem. Ita opinatur Nauarrus in summa cap. 1. num. 39. & Corduba lib. 1. quaestio. Theologicarum, quaestio. 2. ad tertium: satis tamen de sua sententia dubitans. Fundamentum prioris partis est idem, quod praecedentis sententiae: posterioriorem autem partem probat: quia alias nunquam baptismus primam gratiam conferret, quod est inconueniens, vt videbimus.

*2. Sententia.*

*Nauar. Cordub.*

*3. Opinio.*

Tertia sententia omnino contraria est, quamcunque displicentiam peccatorum absolutam cum proposito vitae emendandae, etiam si naturalis sit, & virtus naturae concepta, esse sufficientem dispositionem ad effectum huius sacramenti. Ita opinatur Soto hic & lib. 2. de natura & gratia, cap. 15. qui significat, etiam si dolor sit conceptus ex motu humano, qualis est metus infamiae, aut mortis, sufficere cum hoc sacramento ad iustitiam. Fundamentum eius esse potest: quia, qui sic est dispositus, non ponit obicem sacramento: quia non habet voluntatem affectam alicui peccato: sed sacramentum dat gratiam non ponenti obicem: ergo. Confirmatur 1. quia hoc extendendum est, & amplificandum in sacramento baptismi, quantum fieri possit: tum quia est regeneratio, in qua omnia delicta breuissime condonantur: quia in eo conspelimur Christo, & veluti noua creatura efficiuntur: tum etiam quia, cum baptismus per se loquendo, supponat hominem valde imperfectum, & veluti infantem eum generet in rebus diuinis, & spiritualibus, continere debuit facilissimam viam remittendi delicta, vt significatur etiam ad Hebraeos 6. & 10. ergo quaecunque poenitentia, dummodo vere tollat complacentiam peccati, erit sufficiens dispositio ad iustitiam. Vnde confirmatur secundo, nam minor dispositio sufficit cum sacramento baptismi, quam poenitentiae, vt significat Concilium Tridentinum sessio. 14. cap. 2. Vbi propter hanc causam dicit sacramentum Poenitentiae vocatum esse à Patribus laboriosum baptismum: quia nimirum maior dolor in sacramento poenitentiae requiritur,

*Soto.*

*Paul. Heb. 6. 10.*

*Trident.*

quam in sacramento baptismi: sed in sacramento poenitentiae sufficit attritio supernaturalis: ergo in baptismo sufficit naturalis.

Quarta opinio est, per se loquendo requiri, & sufficere quamcunque attritionem veram, etiam si naturalis sit, vt praecedens doctrina dicebat: tamen ex accidenti, & ob ignorantiam inuincibilem posse interdum obtineri effectum sacramenti sine tali dispositione vera, sed solum existimata. Ita opinatur Cano relectione de poenitentia part. 3. Vbi generaliter docet, quacunque ratione homo accedat bona fide ad baptismum, existimans se esse satis dispositum, consequi effectum baptismi: quamuis reuera dispositus non sit. Priorem partem probare potest omnibus testimonijs & rationibus, quibus supra probauimus poenitentiam esse ad effectum baptismi necessariam: oportet enim, vt hoc verum sit, saltem per se loquendo, & de minima poenitentia, qualis est illa attritio. Posterioriorem autem partem probare potest, quia ille non ponit obicem effectui sacramenti, cum bona fide accedat, & reuera non habeat voluntatem adherentem peccato. Et confirmari potest à simili: quia ad effectum Eucharistiae, verbi gratia, per se loquendo, necesse est, vt homo accedat in gratia, seu vere contritus: & tamen, ex accidente propter ignorantiam & bonam fidem, potest sufficere existimata contritio, licet vera non sit: ergo pari ratione, licet in sacramento baptismi, per se loquendo, requiratur vera attritio, ob ignorantiam poterit sufficere solum existimata.

Dico tamen primo: Ad effectum huius sacramenti obtinendum non esse necessarium, vt homo accedat iam iustificatus per veram contritionem. Haec est sententia D. Thomae in 4. dist. 6. q. 1. artic. 3. quaestio. 1. quam sequitur tota eius schola. Eandem tenet Scotus d. 4. q. 5. & dist. 14. q. 4. artic. 3. Durand. d. 4. quaest. 2. ad 2. Palud. quaest. 1. num. 5. Soto conatur fundare hanc conclusionem in citato loco Concilij Tridentini in sess. 6. cap. 6. & 7. sed ex hoc loco nihil colligi potest, vt inferius dicam, respondendo ad argumenta primae opinionis. Magis fauet huic sententiae idem Concilium, sessio. 14. capit. 4. Vbi significat, ad comparandam iustitiam cum sacramento poenitentiae non esse necessarium contritionem, sed attritionem sufficere: sed in sacramento baptismi facilius venia conceditur, vt idem Concilium tradit: ergo. Atque hoc est sufficiens argumentum, supponit tamen multa, quae in materia de sacramento poenitentiae tractanda sunt, nunc vero satis est, hanc conditionalem à nemine negari: si contritio non est necessaria in sacramento poenitentiae, multo minus esse necessariam in baptismo: ostendemus autem suo loco, ad effectum sacramenti poenitentiae tam perfectam dispositionem non requiri. Ratio à priori sumenda est ex efficacia huius sacramenti, illi à Christo Domino concessa, quae ex institutione eiusdem sacramenti, & sine eius colligenda est: nam hoc sacramentum per se institutum est ad regenerandum hominem: iuxta illud, Nisi quis renatus fuerit, &c. est ergo per se institutum ad remittendum peccatum spirituali vitae contrarium: sicut enim naturalis generatio per se fit ex priuatione formae, quae per generationem inducitur: ita etiam supernaturalis generatio per se loquendo: ergo hoc sacramentum, vt suum effectum conferat, per se non supponit peccatum remissum, aut hominem iustificatum: quomodo enim ordinaretur ad dandam vitam spiritualement, si prius semper illam necessario supponeret? aut qualis esset institutio, vtilitas, aut efficacia remedij contra peccatum, quod prius necessario supponeret ablatum peccatum? ergo similiter non necessario supponit hoc sacramentum veram contritionem, vt suum effectum conferat: alias supponeret peccatum remissum, & vitam gratiae: quia haec statim datur per contritionem. Nec refert, si quis dicat, nunc datur

hos

hos effectus per contritionem, vt includentem votum baptismi: & ideo totam efficaciam refundi in baptismum: & hoc satis esse ad conuenientem eius institutionem: nam reuera hoc satis non est, quod enim interdum per baptismum in voto detur ille effectus, non est contra efficaciam & institutionem eius, sed potius commendat illam, tamen, quod semper ac necessario debeat baptismus supponere hunc effectum, prius quam ipse recipiatur, reuera est contra efficaciam eius, & contra finem institutionis illius. Quod alio modo sic explicatur: nam inde sequitur, baptismum nunquam dare remissionem peccati, nec primam gratiam ex opere operato: nam illa, quae datur per contritionem includentem votum baptismi, non est ex opere operato: quia sacramentum non ita operatur, donec collatum sit: sed datur iuxta dispositionem operantis, vt latius dicitur in materia de penitentia: consequens autem est contrarium primario fini huius sacramenti. Vnde tandem confirmatur, quia alias per institutionem huius sacramenti difficultior facta esset via salutis, quam sine illo esset in lege naturae, ac veteri: quia tam difficultis contritionis actus nunc requireretur, quam erat necessarius in eo tempore, & praeterea addita esset necessitas baptismi: consequens autem est contra perfectionem legis gratiae, in qua remedia salutis non solum vtiliora, sed etiam faciliora esse debuerunt.

Dico secundo. Ad effectum huius sacramenti sufficit attritio, etiam si cognita sit, necne esse est, vt existimetur contritio. De priori parte nulla est difficultas: nam sequitur euidenter ex praecedente assertionem: nam superiori sectione ostendimus, esse necessariam & sufficientem aliquam penitentiam peccatorum: rursumque diximus, non esse necessariam contritionem, consequens ergo est, vt sufficiat attritio. Posterior ergo pars probanda est, quam docent Sotoloci supra citatis, & hic d. 6. q. 1. artic. 7. & Canon dicitur de penitentia, part. 5. & Corduba, dicta q. 2. qui refert Turrecrematam in cap. Si quotiescunque, de Consecrat. d. 2. & colligitur ex D. Thoma supra q. 68. art. 4. vbi dicit, peccatoribus esse dandum baptismum, etiam si maculam & reatum praeteriti peccati habeat, Quia est ad hoc specialiter institutus, vt per ipsum peccatorum fordes mundenentur, secundum illud ad Ephes. 5. Mundans eam lauacro aquae, in verbo vitae. Clarius hoc docet infra q. 79. artic. 3. ad secundum. Vbi sic scribit, Baptismus est spiritualis generatio, quae est mutatio de non esse spirituali ad esse spirituale, & datur per modum ablutionis: & ideo quantum ad verumque non inconuenienter accedit ad baptismum, qui habet conscientiam peccati mortalis. Habere autem conscientiam peccati mortalis, non est solum, hominem cognoscere, se aliquando peccasse: nam in hoc sensu non solum ad baptismum, sed etiam ad Eucharistiam potest homo conscientius peccati commissi digne accedere: quod tamen ibi D. Thomas negat: differentiam in hoc constituit inter baptismum & Eucharistiam: igitur habere conscientiam peccati mortalis est existimare, seu recognoscere hominem, nondum sibi esse remissum peccatum: qui autem habet hanc conscientiam, necesse est, vt existimet, se non esse contritum: ergo iuxta sententiam Diui Thomae, cum hac existimatione & conscientia potest quis digne accedere ad hoc sacramentum, & consequi effectum eius. Atque eandem differentiam inter hoc sacramentum & Eucharistiam repetit D. Thomas quaestio. 80. art. 4. ad 2. vbi ait, Eucharistiam, quia est medicina confortatiua, non esse dandam, nisi liberatis a peccato: secus vero esse de baptismo & penitentia, quae sunt quasi medicina purgatiua, quae dantur ad tollendam febrem. Ratio autem huius assertionis est, quia contritio non est simpliciter necessaria ad effectum huius sacramenti necessitate medijs, cum ostensum sit, sine illa posse hominem iustificari. Rursum neque est necessaria necessitas Franc. Suarez Tom. 3.

fitate praeccepti: nam, vel hoc praecceptum esset positiuum: & huiusmodi nullum ostendi potest, neque ex Scriptura, neque ex traditione: aut esset naturale, seu connaturale ipsi sacramento, & necessarium ad dignum usum eius, eo quod sancta sancte tractanda sint: nam ex hoc principio simile praecceptum colligitur: sed hoc in praesenti sacramento non videtur: nam ex fine institutionis eius colligitur, digne & sancte tractari hoc sacramentum, si homo accedat cum sufficiente dispositione ad illius effectum consequendum. Nam vnaquaeque res sancta sancte tractanda est iuxta modum suum: hoc autem sacramentum per se institutum est ad dandam vitam animae, & primum esse supernaturale illius: ergo per se, vt digne tractetur, solum postulat dispositionem re ipsa necessariam ad talem effectum: satisque digne tractetur, si in ipso momento, in quo percipitur, homo sit sanctus ex vi ipsius sacramenti: ergo contritio nullo modo est per se necessaria ad effectum huius sacramenti: ergo neque existimatio contritionis potest esse necessaria: quia haec existimatio per se nihil confert, cum sit tantum iudicium quoddam falsum & erroneum: solum ergo potest requiri, vt homo excusetur ab aliquo peccato, seu transgressione alicuius praeccepti. Si ergo nullum est praecceptum de habenda contritione in susceptione baptismi, non erit necessaria existimatio contritionis ad effectum eius: sufficit ergo attritio, etiam si cognita sit.

Dico tertio, Haec attritio sufficiens ad effectum baptismi esse debet, supernaturalis, absolutus, & efficaci actus voluntatis, includens detestationem peccatorum, & propositum non peccandi de cetero, ex motu aliquo supernaturali, & per auxilium gratiae elicitus. Haec assertio est mihi fere certa, & in eius confirmationem adduci possunt imprimis omnia, quae supra ex Scriptura & Patribus adduximus ad probandum, aliquam penitentiam requiri ad effectum huius sacramenti: non enim loquuntur de aliqua humana displicentia peccati, sed de illa penitentia, quae secundum Deum est: illa enim sola salutem animae operatur. Possunt deinde afferri omnia, quibus in materia de iustificatione & gratia ostenditur, non posse hominem viribus naturae se preparare ad gratiam & remissionem peccati obtinendam: nam doctrina Patrum & Conciliorum in hac generalis est, & indistincte datur de iustificatione, quae in sacramento, & extra illud fit: nec licet nobis, generalem doctrinam Conciliorum sine fundamento limitare: alias eadem ratione posset dici ad iustitiam obtinendam extra sacramentum requiri supernaturalem cognitionem fidei infuse: tamen cum sacramento sufficere naturalem cognitionem, vel fidem aliquam humanam: nam Concilia, cum loquuntur de necessitate fidei ad iustitiam, solum in comuni, & indistincte loquuntur: consequens autem est omnino falsum & erroneum, vt in principio praemisimus. Praeterea magis in specie probatur conclusio ex Concilio Tridentino session. 6. Vbi loquens absolute de iustificatione, quae fit per baptismum in voto, vel in re, ad illam requirit supernaturalem dispositionem, quae, vt minimum, includit praedictum actum, vt patet cap. 3. vsque ad sextum, apertius sess. 14. cap. 4. diltinguens contritionem perfectam ab imperfecta, quam nos attritionem vocamus, vtramque dicit esse supernaturalem detestationem peccatorum, quae voluntatem peccandi excludat. Ratio autem conclusio- nis est: quia cum in iustificatione remittenda sunt omnia peccata mortalia, necesse est, ea detestari: saltem illa, quae homo commisit: & consequenter necesse est, vt hoc fiat per actum efficacem & absolutum: alias non esset vera retractatio prioris vitae, sed solum simplex & imperfectus affectus, cum quo manere potest voluntas suis peccatis efficaciter adherens: atque eadem ratione necesse est, vt hic motus includat formaliter, aut virtute propositum seruandi

Qualis deus  
bens esse  
attritio, vt  
sufficiens ad  
effectum  
baptismi.

Trident.

Ratio con-  
clusionis.



di mandata in futurum: quia per iustificationem homo recedit à priori vita, vt ad meliorem conuertatur. Ac deniq; quia hic actus est dispositio ad supernaturalem formam, & ad tollendum auersionem à supernaturali fine: ideo necesse est, vt ipsa sit supernaturalis: & consequenter vt sit ex motiuo supernaturali, & à Deo principaliter operante per auxilium gratie, quatenus est supernaturalis causa, ducens hominem ad supernaturalem finem. Et confirmatur illo exemplo de dispositione requisita ex parte intellectus: nam illa esse debet supernaturalis etiam in iustificatione, quæ fit per sacramentum: ergo etiam dispositio requisita ex parte voluntatis: est enim aut par aut maior ratio: quia dispositio intellectus est magis remota: dispositio autem voluntatis propinquior est, & magis perficit conuersionem & sanctificationem hominis.

**Obiectio.**

Dices, hoc argumentum, vel nimium, vel nihil probare: nam ex illo sequitur, tam perfectam dispositionem voluntatis requiri cum baptismo ad obtinendam iustitiam, quam extra illum: probatur sequela simili ratione, quia ex parte intellectus requiritur dispositio æque perfecta intra & extra sacramentum, scilicet actus fidei eiusdem rationis & speciei: ergo idem erit in voluntate, vel si hæc consequentia non tenet, quoad æqualitatem actus, etiam non tenebit, quoad supernaturalitatem. Vnde potest reddi nonnulla differentia inter intellectum & voluntatem: quia actus intellectus est prior, & ideo est veluti fundamentum totius ordinis supernaturalis: propter quod dicta est fides, Substantia rerum sperandarum, ad Hebræos 11. Quapropter necesse est, vt saltem ex parte intellectus dispositio fit supernaturalis, vt ab ea omnes alij motus habeant aliquam supernaturalitatem, saltem extrinsecam, quamuis ipsi in se supernaturales non sint: at vero si ex parte intellectus deesset fides, & reliqui motus voluntatis naturales essent, & nihil supernaturalitatis relinqueretur in tota hominis dispositione.

**Paul. Hebr. 11.**

**Responsio.**

Respondetur ad obiectiorem, negando sequelam: in intellectu enim sufficit ad iustificationem extra sacramentum talis dispositio supernaturalis, quæ in illo ordine infimum tenet locum: & ideo non potuit conuenienter fieri, vt in sacramento minor dispositio sufficeret, quia oportet illam naturalem esse, nam in ordine supernaturali non potest esse minus perfecta cognitio (saltem secundum legem ordinariam, seu quæ à nobis cognoscatur) quam sit cognitio fidei, at vero in voluntate ad iustificationem extra sacramentum necessaria est perfectissima dispositio, qualis est contritio, & amor Dei super omnia ex charitate, infra quam possunt esse alie dispositiones minus perfectæ intra ordinem supernaturalem, & ideo non est similis ratio de supernaturalitate dispositionis, & de æqualitate perfectionis eius: nam illa potuit, ac debuit requiri propter supernaturalitatem formæ inducendæ, & vt homo per vtramq; potentiam operetur consentanea fini & statui supernaturali, ad quem eleuatus est, & à quo peccando cecidit: de æqualitate autem perfectionis potuit & debuit aliquid remitti ex parte voluntatis, vt propter passionem Christi exhibitam facilius esset hominibus salutis via. Et per hæc facile etiam rejici potest illa differentia assignata inter intellectum & voluntatem, quæ magis in verbis, quam in re videtur consistere. Nam illa supernaturalitas extrinseca, qua dicuntur participare actus voluntatis ab actu intellectus, reuera nulla est, si ipsi actus voluntatis non sunt in se supernaturales, nam per se non requirunt fidem in intellectu, & quando cum illa coniunguntur, nihil ab ea accipiunt, vt supernaturalis est.

**Ad effectum Baptismi requiritur contritio vere ac reuera licet exi.**

Dico quarto, Ad effectum Baptismi necessariam esse hanc attritionem vere ac realiter existentem, & non satis esse existimationem eius, quantumuis inuincibilem & inculpabilem, si reuera ipsa attritio

non habeatur. Probat, quia hæc attritio non solum requiritur vt præcepta, sed etiam vt medium necessarium ad iustitiam, ea scilicet ratione qua nonnulla poenitentia peccatorum vera & supernaturalis necessaria est ad eorum remissionem: sed in his, quæ sunt necessaria, necessitate medij, non sufficit ad salutem eorum existimatio, si ipsa reuera non adhibeatur, quod enim proderit peccatori, quod existimet se vere absolui à sacerdote, si reuera ille non est sacerdos, aut non habet intentionem, vel iurisdictionem? sic ergo nihil proderit existimatio attritionis, si in re non existat: quia non est minus necessaria attritio ad hunc effectum, quam absolutio ad suum, & alia media necessaria ad salutem.

Dices, quamuis medium necessarium non adhibeatur in re, posse sufficere votum eius: sicut in prædicto exemplo de absolutectione constat. Respondetur imprimis, hoc votum non sufficere, nisi quatenus includitur in aliqua dispositione ita perfecta, vt sit sufficiens dispositio ad iustitiam: non potest autem imitari huiusmodi votum attritionis, debet enim in contritione includi, quod ridiculum est: tum quia attritio non est absolute necessaria, sed ob defectum contritionis: tum etiam, quia nos loquimur, quando vtraque deest. Vnde addo attritionem, si reuera non exhibeatur, non posse in voto proprie contineri, quia est minima & imperfectissima dispositio, quæ in ordine supernaturali requiri potest, nam dolor, seu attritio naturalis, non est proprie votum, quia non est dispositio ad ordinem supernaturalem spectans. Optimum & accommodatum exemplum est de fide, quæ etiam est medium ad salutem necessarium ex parte intellectus, & ideo quantumuis quis existimet, se habere fidem supernaturalem, si reuera illam non habet, poterit quidem à peccato excusari, non tamen iustificari, quia non potest obtineri effectus sine medio necessario: fides autem est tale medium: quod si in re non habetur, non potest in solo voto contineri: est enim primum supernaturalis actus, qui non supponit alium, in quo possit votum eius contineri, loquor enim simpliciter de fide, non in particulari de fide huius vel illius rei, explicita vel implicita. Est ergo eadem ratio de poenitentia in fusa, quia equalis est vtriusque necessitas, vt constat ex Conc. Trid. sess. 6. & Can. 14. & consequenter idem erit de attritione, de qua agimus, deinde contritione. Vnde qui affirmant, sufficere cum sacramento existimatam attritionem sine vera attritione: eadem ratione possunt ac debent dicere, sufficere existimatam fidem, sine supernaturali fide, & sufficere naturalem dispositionem solis viribus naturæ affectam, existimatam supernaturalem. Imo etiam sufficere existimationem dispositionis sine vlla dispositione præter voluntatem Baptismi, vt si quis ex ignorantia inuincibili existimet, illam esse sufficientem dispositionem ad effectum Baptismi, & dignum vsum eius: hæc autem omnia sunt valde absurda, vt ex dictis patet.

Ad fundamenta primæ sententiæ. Ad primum ex Concilio Tridentino imprimis responderi potest ipsum in illis capitibus nihil de contritione agere, sed solum de attritione, ita enim Soto, & nonnulli alij recentiores hunc Concilij locum intellexisse videntur, & potest confirmari ex verbis ipsius Concilij, nam in illo cap. 6. initium illius dispositionis post actum videtur poni in timore diuinæ iustitiæ, & addit actum ipsi in Christum, cum autem peruenit ad amorem, nullam mentionem facit dilectionem Dei super omnia, sed solum ait, illumque (scilicet Deum seu Christum) tanquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt. Quæ verba significant sermonem esse de amore imperfecto, tum quia videtur in eis sermo esse de amore concupiscentiæ, quia amare Deum, vt iustitiæ fontem, non videtur esse amare Deum propter se, sed vt benefactorem nostrum, tum etiam, quia incipere diligere, non est perfecte diligere. Deinde statim ad-

dens Concilium actum doloris, solum dixit. Ac præterea mouentur aduersus peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est, per eam penitentiam, quã ante Baptismum agere oportet. Vbi notandum est, verbum illud, odium aliquod, nam videtur esse diminiens, vnde non videtur exigere summum odium, summamque detestationem, qualis est contritio. Item Penitentia, quam agere oportet ante baptismum, non est contritio, sed attritio tantum. Tandem in omnibus testimoniis, quã ibi Concilium adducit, nullum est, quod de contritione aut de amore Dei super omnia loquatur, sed solum de penitentia in genere. Sed mihi non videtur verisimile, Concilium ita loqui de attritione, vt contritionem excludat, vel vt in eam non conueniant omnia, quã de dispositione ad gratiam, tam in illis capitibus, quam in Canonibus, qui illis respondent, docet. Itaque licet non affirmem, Concilium loqui de sola contritione, & amore Dei super omnia, non enim sine causa ita verba sua temperauit, sicut notatum est, & ex parte notauit Vega. libro sexto in Tridentinum capite 28. 29. & 30. dico tamen, ita Concilium doctrinam suam accommodasse, vt non solum attritioni, sed potissimum contritioni conueniat. Primo, quia Concilium ibi non solum intendit describere iustificationem, quã fit per Baptismum re ipsa susceptum, sed absolute & simpliciter docere modum primæ iustificationis, qui proportionem seruata, conuenire possit iustificationi per Baptismum in re, vel in voto, vel etiam illi, quã fiebant in veteri & naturali lege ante Baptismi institutionem, nam illa doctrina de gratia communis est omnibus hominibus, & omnibus ætatibus, non ergo debuit limitari doctrina ad solam iustificationem per realem suspensionem Baptismi: ergo non debuit loqui de sola attritione, sed potissimum de contritione, præsertim cum capit. 4. dixisset, posse iustificationem fieri per Baptismum in voto, ad quam non sufficit attritio, sed necessaria est contritio.

Secundo, verba Concilij optime ad contritionem accommodantur: nam quod ait, Diligere incipiunt, non significat imperfectionem dilectionis, sed nouam mutationem, quã fit in corde peccatoris, quando ex statu peccati transfertur in statum dilectionis Dei: tunc enim incipit diligere, quem antea odio habebat quantumuis perfectio amore eum diligit. Itaque illud verbum incipiendi, dicit durationem & inceptiorem nouam, non essentialiam imperfectionem actus, qui de nouo fit. Eo vel maxime, quod dilectio Dei absolute dicta maxime significare solet dilectionem super omnia, iuxta illud, Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diligit eum, Ioan. 14. Nam cum imperfecta dilectio possit simul esse cum peccato mortali, non meretur nomen dilectionis simpliciter: quod vero Concilium loquatur de dilectione Dei, tanquam fontis omnium iustitiarum, non excludit, quoniam amor ille sit beneuolentia, seu propter seipsum: sed significat amorem illum debere ferri in Deum, vt supernaturalem finem & authorem, sicut diligere Deum, vt creatorem, dilectione naturali, non est diligere amore concupiscentiæ, sed est diligere summam bonitatem Dei, vt potest esse obiectum naturalis amoris. Rursus verba, quibus loquitur Concilium de dolore, magis conueniunt contritioni, quam attritioni, vt patet ex illa causali: Ac propterea mouentur aduersus peccata per odium aliquod, & detestationem: quibus significatur hanc penitentiam, quam Concilium docet, requiri debere oriri ex amore Dei, & ex motiuo illius: hoc autem magis contritioni conuenit, quam attritioni, præsertim iuxta doctrinam eiusdem Concilij sess. 14. capite 4. vbi loquens de attritione, quã cum sacramento valet ad imperandam remissionem peccatorum, duas tantum eius species ponit, scilicet quod ex turpitudine peccati consideratione, vel ex metu poenarum inferni concepta sit: ergo iuxta doctrinam Concilij

detestatio peccati ex amore Dei concepta non est attritio, sed potius contritio.

Ac denique hoc argumentum saltem enteruat fundamentum contrariæ sententiæ: nam etiam si demus, aliquam esse attritionem ex imperfecto amore Dei conceptam, tamen dici non potest, eam esse simpliciter necessariam ad effectum baptismi obtinendum: quia sine dubio sufficere potest attritio concepta ex metu gehennæ, vel turpitudine peccati, si supernaturalis sit, & à gratia procedat: ergo quod contritio non sit simpliciter necessaria, nullum argumentum est, doctrinam Concilij non esse de contritione intelligendam: quia negari non potest, quin loquatur de contritione, aut saltem de attritione ex amore Dei concepta: neutra autem est simpliciter necessaria: igitur in omni sententiâ dicendum necessarium est, Concilium non descripsisse dispositionem simpliciter necessariam: sed vel eam, quã optima est omnium, magisque certa & hominibus, etiam ante baptismum, magis consulenda: fortasse enim ideo abstinuit à verbo necessitatis: solumque dixit (Quam ante baptismum agere oportet) vel certe enumerauit eos actus, qui, per se loquendo, sunt aliquo modo necessarii: non determinans, an omnes simul sint necessarii in omni iustificatione intra & extra sacramentum: an vero perfectiores sint necessarii extra sacramentum, alii minus perfecti cum sacramento sufficientes: quod clarius ipsomet Concilium docuit sess. 14. cap. 4.

Possumus autem hanc explicationem doctrinæ Concilij confirmare ex definitione Canonis tertij, vbi definit, neminem sine gratia excitante & adiuuante posse credere, sperare, diligere, aut penitere, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia concedatur. In qua definitione non fit expressa mentio dilectionis super omnia, sed dilectionis absolute: & tamen negari non potest, quin maxime comprehendatur dilectio perfecta, & super omnia ex charitate, nam de hac potissimum, imo de hac sola certum est, non posse sine gratia excitante & adiuuante haberi: nam de imperfecta dilectione, & incertum est, qualis sit, & quibus viribus fieri possit. Huius autem Canonis definitio manifeste respondet doctrinæ datæ in superiori capite 6. ergo vtrobique est sermo de eadem dilectione: ergo etiam in cap. 5. est sermo de dilectione super omnia, vel solum vel maxime. Concedimus ergo ad difficultatem propositam, Concilium in eo capite loqui de contritione, vel saltem illam in sua doctrina comprehendere: negamus tamen inde sequi contritionem esse necessariam ad iustificationem, quã fit per sacramentum: nam Concilium non tantum de hac iustificatione, qua homo adultus transfertur à statu peccati originalis ad statum gratiæ: quod nunc fit per baptismum in re vel in voto, vt capit. 4. docuerat. Et ideo describit dispositionem, vel optimam, vel in communi, vt possit secundum diuersos actus ad diuersos iustificationis modos accommodari: non tamen dicit, omnes illos esse necessarios in singulis iustificationibus, vt nuper dicebamus. Et ideo fortasse inferius Can. 9. tractans Concilium de dispositione necessaria ad iustitiam ex parte voluntatis solum dixit, non sufficere solum fidem, & necesse est hominem suę voluntatis motu preparari & disponi: & damnat dicentes, nulla ex parte hanc dispositionem esse necessariam.

Ad rationem illius sententiæ respondetur, contritionem quidem ex natura rei esse optimam dispositionem ad remissionem peccati, & ex iustitia debitam Deo, vt homo, qui non potest ad æqualitatem Deo satisfacere pro iniuria illata, saltem facit, quod in se est, quodque auersioni peccati maxime videtur repugnare. Christus autem nouum peccati remedium instituens, rigorem iustitiæ temperauit, & contritionis remedium leniuit, non quidem vtilitatem

Concilij  
explicatio  
paucis  
sententia.

Ad rationem  
opinionis.

eius, sed necessitatem moderando. Nec dubitari potest, quin hoc facere poterit: quia neque ex parte obiecti repugnat, ut latius in materia de poenitentia ostendimus, quoniam formalis causa iustitiae, & remissionis peccati non est noster actus, seu dispositio, sed diuina gratia, ut Concilium Tridentinum aperte docuit. neque etiam repugnat ex parte diuinae omnipotentiae, tum quia potest gratis ac liberaliter iniurias condonare, & gratiam suam, cui voluerit, conferre, tum etiam, quia totum hoc meruit nobis Christus sua perfecta iustitia, & rigorosa satisfactione.

*Ad fundamentum 1. opinionis.*

Ad fundamentum secundae sententiae negatur, post institutum Baptismum contritionem esse per se necessariam ad primam iustificationem, ut satis declaratum est. Hic vero inquiri posset, an talis contritio sit aliquando in vita necessaria, saltem in articulo mortis, vel propter maiorem certitudinem, ut homo in tam graui negotio nulli se periculo exponeret, vel certe propter obligationem connaturalem, quam homo habet conuertendi se ad Deum modo perfecto & conuenienti, quam obligationem non est necesse ablatam esse per Baptismum, etiamsi absque illius executione possit obtineri iustitia. Cum qua quaestione coniuncta est alia, scilicet, an in attritione, quae sufficit ad effectum Baptismi, includatur votum seu propositum habendi aliquando contritionem tempore opportuno, sicut includitur propositum seruandi alia mandata: sed has quaestiones tractabimus infra in materia de Poenitentia.

*Ad fundamentum 3. opinionis.*

Ad fundamentum tertiae sententiae negatur, eum, qui accedit ad Baptismum cum solo dolore naturali, vel humano, non ponere obicem sacramento. Primo quidem, quia ipsa carentia debita ac necessariae dispositionis est obex, siue culpabilis sit, siue etiam inculpabilis: quia est veluti carentia medij necessarii, sicut explicatum est: tum etiam, quia solus dolor naturalis non censetur moraliter excludere affectum peccati, ut fuit contra Deum, finem naturalem. Ad primam confirmationem concedimus in Baptismo requirendam esse minimam dispositionem, tamen eam saltem esse exigendam, quae possit esse dispositio: huiusmodi autem est solus dolor, qui supernaturalis sit: quique ex aliquo diuino motu procedat: quia naturalis actus non eleuat voluntatem ad ordinem supernaturalem: neque extendit consensum eius, & proximam capacitatem ad supernaturalem iustitiam: dolor autem mere humanus, & ex motu humano adhuc est minus sufficiens: quia reuera, quantum est ex se, non tollit internum affectum peccandi, ut latius dicemus in materia de Poenitentia. Ad secundam confirmationem, falsam existimo etiam in hac parte sententiam Soti asserentis, aliquam attritionem sufficere cum sacramento Baptismi ad remissionem peccati mortalis, quae non sufficeret cum sacramento Poenitentiae: quia nullum est fundamentum ad constituendam hanc differentiam: & quia iuxta doctrinam eiusdem Concilij attritio concepta ex metu gehennae sufficit cum sacramento Poenitentiae: videtur tamen illa attritio satis in sua specie imperfecta. Et idem est de attritione ob propriam federtatem peccati. Non ergo fingi potest alia minus perfecta, quae cum Baptismo sufficiat: quia, nec, quoad speciem fortasse dari potest, nec perfectio indiuidualis, aut intensiua est in aliquo sacramento necessaria. Quod ergo in sacramento Poenitentiae dicitur difficilius, seu laboriosius poenitentiam requiri, quam in Baptismo, intelligitur, quoad plenam satisfactionem seu remissionem peccati, quoad culpam & poenam, non vero, quoad solius culpae remissionem, ut satis explicuit Concilium Tridentinum, sess. 14. cap. 2. & 8.

*Sententia Suisalynae est.*

*Cōc. Trid.*

*Ad fundamentum 4. opinionis.*

Ad fundamentum quartae opinionis respondetur, non sufficere bonam fidem, ut homo non ponat obicem effectui sacramento, ut a fortiori patet ex dictis ad fundamenta tertiae sententiae. Atque hinc fit (licet aliter Cano sentiat) in rigore posse dari statum me-

dium in eo, qui ad Baptismum accedit: ita ut neque effectum consequatur, neque ob indignam sumptionem denuo peccet: vel propter inuincibilem ignorantiam iuris, putans non requiri aliam dispositionem praeter voluntatem Baptismi, vel propter ignorantiam facti: existimans se esse attritum, cum verum non sit. Dico autem in rigore: quia simpliciter non repugnat, quamuis moraliter vix sit credibilis talis ignorantia. Ad confirmationem respondetur ex supra dictis, non esse similem rationem de contritione & attritione: quia contritio non est simpliciter necessaria, necessitate medij cum aliis sacramentis, sed solum necessitate praecipi, attritio vero, deficiente contritione, est simpliciter necessaria, necessitate medij. Deinde contritio potest in voto contineri in attritione: unde cum per attritionem voluntas auertatur a peccato, & in ea includatur propositum seruandi mandata, ex eo potest esse sufficiens dispositio ad gratiam cum quolibet sacramento, si alioqui homo per bonam fidem excusetur à transgressione praecipi habendi contritionem, quod alijs sacramentis adiunctum est: at vero, remota vera attritione, non relinquatur alia inferior dispositio, quae ad gratiam sufficiat, quaeque satis auertat voluntatem à peccato, & propositum includat praestandi reliqua: & ideo existimatio attritionis non sufficit sine vera attritione.

### SECTIO III.

*Utrum Baptismi effectus augetur, minuitur, vel impediatur ex dispositione suscipientis.*

**P**incipio statuendum est, quaestioem hanc non habere locum in infantibus: nam sicut in eis non requiritur dispositio ad effectum Baptismi: ita neque impedi potest ex defectu dispositionis: omnes ergo infantes infallibiliter recipiunt effectum Baptismi, quoad gratiam, & omnia dona habitualia, quae illam consequuntur, si verum sacramentum accipiant. Atque eadem ratione, sicut non possunt infantes per proprium actum se ad gratiam disponere, ita non possunt ratione dispositionis maiorem, aut minorem gratiam accipere. Unde fit, omnes infantes recipere aequalem gratiam baptismalem, ut hic Diuus Thomas sentit, & supra tractando de sacramentis generatim diximus: quia seclusa dispositione, non est, unde effectus hic varietatem, aut inaequalitatem accipiat. Sed dici potest primo, posse illam recipere ex sanctitate ministri, aut ex oratione eius, vel circumstantium: Sed iam supra dictum est, sanctitatem ministri non posse augere effectum ex opere operato: quia non est causa principalis, à qua sacramentum habet vim & efficaciam operandi: sed tantum est causa ministerialis, applicans instrumentum Christi. Et eadem ratione ex oratione eius, vel aliorum assistantium, non potest hic effectus augeri: praeterquam cum nemo possit alteri impetrare immediate infusionem gratiae habitualis, vel augmentum eius, nisi impetrando dispositionem, seu auxilium congruum ad illam habendam.

Secundo dici potest, hunc effectum recipere inaequalitatem ex diuersa capacitate naturali ipsorum infantium: nam Deus confert gratiam iuxta capacitatem naturam, ut de angelis Theologi docent: Sed ad hoc satis respondet Diuus Thom. in articulo: cui solum addendum est, gratiam sanctificantem proximè ac perse dari, iuxta proportionem dispositionis, quod etiam in angelis seruatum est: quia hoc postulat natura, & perfectio illius formae. Ad ipsam autem dispositionem eliciendam datum est eis auxilium gratiae, perfectioni naturali proportionatum: unde datum est inaequale: quia naturalis perfectio, & essentialis erat in angelis inaequalis: & idem

ideo non est eadem ratio de infantibus, cum quia in eis non est varia capacitas essentialis, tum etiam, quia non sunt capaces auxilij, quo se ad gratiam disponant.

*Obiectio.* Tertio dici potest, hunc effectum variari & esse inaequalem in paruulis ex diuina ordinatione, & praedestinatione, quod aliquando significat Scotus esse probabile, vt loco supra citato notauimus, & in eodem sentit Palud. in 4. dist. 4. quaest. 1. qui hoc colligit ex eo, quod omnes homines electi à Deo, assumpti sunt ad sedes angelorum, qui ceciderunt. Vnde inferunt, necesse esse, vt omnes sint in gratia, & gloria inaequales: quia angeli omnes sicut sunt inaequales in natura, ita & in gratia & gloria: ergo etiam infantes, qui cum solo effectu baptismi ex hac vita decedunt, assumuntur ad inaequales sedes angelorum: ergo recipiunt per baptismum illam inaequalem gratiam, solum quia per diuinam praedestinationem ad illas inaequales sedes ordinati sunt. Respondetur, improbabile esse sacramentorum effectus, qui in hominibus sunt, per solam diuinam voluntatem, aut praedestinationem metiri, ac si non habeant sacramenta certos ac itabiles effectus diuina lege ac promissione definitos: cum tamen hoc certissimum sit, vt praedicto loco ostendi: diuina ergo electio ad inaequalem gloriam non efficit, vt per aequalia media hominibus aequae dispositis inaequales effectus conferantur: hic enim non esset conueniens prouidentiae modus, quia diuina electio impleri debet per proportionata media, alias dici etiam posset: adultos aequae dispositos recipere inaequales effectus sacramentorum: aut per aequalia opera & ceteris omnibus paribus, recipere inaequale augmentum gratiae, vt tandem accipiant inaequales sedes gloriae, ad ad quas sunt praedeterminati: quae tamen absurda sunt: non ergo hoc efficit diuina electio: sed quando haec in intentione suae efficaciae terminatur ad inaequalem gloriam, consequenter efficit, vt dentur inaequalia media, & proportionata ad inaequalem gratiam obtinendam. Ad motuum ergo Paludani in primis incertum est, omnes angelos esse in gloria inaequales. Deinde falsum est, omnes homines electos assumptos esse ad reparandas sedes angelorum: nam primaria ratio electionis hominum non fuit reparatio angelicarum sedium: non enim praedeterminati nos sumus occasione peccati angelorum: sed tam per se, sicut ipsi angeli, vt recte tractat Anselm. libr. 1. Cur Deus homo, cap. 18.

Quapropter sine fundamento dicitur, nec plures, nec pauciores homines esse saluandos, quam fuerunt angeli, qui ceciderunt, vel non esse habituros maiorem, vel maiorem gloriam, quam haberent illi, si perseverarent: nam primum horum incertum est, & probabilius fortasse est, plures homines fore saluandos, quam angeli ceciderunt. Secundum vero est plane falsum: nam, esto, sit verisimile omnes illos gradus gloriae, qui futuri erant in angelis lapsis, si perseverassent, reparandos esse in hominibus (sic enim interdum videntur loqui sancti Patres) tamen, quod non sit in eis futura aliqua maior, vel minor gloria, quam esset futura in illis angelis, falsum omnino est: quia, saltem in beata Virgine, est certissimum, futuram esse maiorem gloriam, quam in omnibus illis: & idem est probabile de aliquibus eximjis, sanctis hominibus si qui sunt, qui superent in gloria omnes beatos angelos: nam probabile est, supremum sanctorum Angelorum habere nunc maiorem gloriam, quam habiturus esset Lucifer, si perseverasset. Et simili modo non videtur dubium, quin multi homines habituri sint gloriam minus perfectam, quam angeli, qui ceciderunt, habuissent, si perseverassent: quod maxime credendum videtur de infantibus: nam horum gratia est valde imperfecta, vt iam dicam: rosa autem angelica natura accepit in sua creatione

perfectissimam gratiam, naturali perfectioni eius proportionatam. Ex hoc ergo fundamento non potest colligi, gloriam infantum futuram esse inaequalem, sed in multis erit aequalis, qui per aequalia media saluati sunt: in alijs vero poterit esse maior, & in alijs minor propter diuersitatem mediorum, vt statim explicabo: quae tota varietas ad ostensionem diuinae gratiae, & ad decorem & splendorem gloriae pertinebit.

Sed antequam ab infantibus separemur, quare breuiter potest, quanta sit haec gratia, quae infantibus per Baptismum datur. Quidam enim existimant, esse minimam: sed, vt hoc sit verum, intelligendum est de minima, quae per baptismum datur non enim est minima in intentione, quae simpliciter reperiri potest in qualitate gratiae: quia, vel in nulla qualitate datur huiusmodi minimum in intentione: vel, si datur gratis, & sine vilo fundamento attribuitur effectui Baptismi: praesertim cum sancti Patres plurimum commendent, & exaggerent gratiam baptismalem. Quocirca non existimo, illam gratiam ita esse imperfectam, quin minor fuerit data paruulis per circumcisionem, & per remedium legis naturae: quia hoc pertinet ad plenitudinem perfectionis legis gratiae: in qua & homines assumuntur, & per Baptismum consecrantur ad perfectiorem statum, magisque spiritualem, quam in lege veteri: & Christi merita re ipsa iam exhibita copiosius operantur. Deinde non est improbabile, hanc gratiam baptismalem, quae datur infantibus, habere plures gradus intentionis, quam minima gratia, quae datur per Penitentiam, Extremam vnctionem, & similia sacramenta; quamuis omnis haec comparatio incerta sit, sicut etiam incertum est, quor gradus gratiae per Baptismum paruulis conferantur. Demique, quod haec gratia baptismalis paruulorum sit minima inter Baptismales, dupliciter intelligi potest: primo, negatiue, scilicet, quia nulla est minor illa: & hoc modo est res clara, & certa: quia non est, vnde gratia illa possit decrefcere, cum in subiecto nulla possit esse minor dispositio, quam non repugnantia ad gratiam. Secundo modo potest intelligi positue, scilicet, quia potest dari gratia baptismalis maior, quam haec: & hic sensus est etiam verus, pender tamen ex sequentibus.

Omissis ergo infantibus, quaestio proposita proprium locum habet in adultis, de quibus dicendum est, primo, ex defectu dispositionis interdum fieri posse, vt nullum effectum gratiae per Baptismum accipiant. Haec conclusio est certa, quia sacramenta non dant gratiam ponenti obicem: quia autem accedit sine dispositione debita, ponit obicem: & hoc idem est, quod D. Thom. ait, fictionem impedire effectum Baptismi: nam accedere sine debita dispositione, est sicte accedere. Dices, interdum potest quis accedere sine debita dispositione absque fictione, vt si bona fide accedat: nam hoc posse interdum contingere, dictum est sectione precedente: nam qui bona fide accedit, reuera non fingit, sed ealem se exterius exhibet, qualem se esse existimat. Respondetur, sicut, qui dicit falsum, putans se dicere verum, materialiter dicit mendacium, ipse autem formaliter non mentitur: ita, qui bona fide accedit indispositus, obicem ponit, & materialiter ac re ipsa fictus est, quamuis formaliter, & quoad nouam culpam non fingat.

Dico secundo, ex imperfectione dispositionis, fieri posse, vt effectus Baptismi minuat, & e conuerso, vt ex perfectione dispositionis augetur. Vt declaratur, & probetur haec assertio, aduertendum est, in effectibus Baptismi duplicem quantitatem intelligi posse: prior vocari potest extensua, seu, quasi discreta, vt est habitum, ac donorum multitudo, remissio peccatorum mortalium, & venialium

*Quantitas gratiae, quae infantibus per Baptismum datur.*

*Adulti de seculo dispositione nullum interdum effectum baptismi accipiunt.*

lium & omnium penarum. Et præterea aliqua alia auxilia gratiæ, si forcasse aliqua dantur ratione Baptismi, præter ea, quæ ex natura rei debentur gratiæ habituali: Posterior quantitas est intensiua, quæ eiusdem rationis, seu proportionis est in gratia gratum faciente, & in omnibus virtutibus infusis, & donis, quæ illam consequuntur. Quod igitur spectat ad priorem quantitatem, qualibet dispositio, quæ sufficit ad gratiam recipiendam per Baptismum, sufficit ad omnia alia positiua habitualia dona gratiæ, quæ secundum legem ordinariam dari possunt per Baptismum: tum quia hæc ex natura rei consequuntur gratiam, tum etiam, quia, qui non ponit obicem gratiæ, non ponit etiam illum aliis virtutibus, seu donis infusis: sufficit etiam illa dispositio ad omnia mortalia peccata tollenda: quia omnia per gratiam remittuntur, neque vnum potest sine alio remitti, aut cum gratia simul esse. Atque ita in hac quantitate huius effectus non potest esse inæqualitas ratione dispositionis, quia totus hic effectus per se, & ex natura sua, est quasi indivisibilis: solum in remissione peccatorum mortalium fieri potest, vt vni plura remittantur, quam alteri, sed hoc non potest provenire ex parte dispositionis: quia cum eadem dispositione, imo, & cum meliori, possunt alicui pauciora peccata remitti. Tantum ergo potest hoc provenire ex parte subiecti, scilicet, quia vnus homo plura habet peccata, quam alius, quod est per accidens, & quasi materiale ad virtutem sacramenti, cuius efficacia formaliter in hoc consistit, quod tollit semper omnia peccata mortalia, quæ inuenit in subiecto disposito: atque idem proportionaliter est in remissione penarum, quæ respondet huiusmodi peccatis. Nam ex parte sacramenti, & dispositionis requisitæ ad effectum eius, non reperitur magis & minus in hoc effectu, sed si aliquid huius penarum remittitur per Baptismum, totam remitti necesse est: quia non potest ex parte subiecti dari obex impediens remissionem totius penarum æternarum, & temporalis, si non datur ad remissionem culpæ: cum nulla satisfactio exigatur ab eo, qui digne suscipit Baptismum. Ex parte vero subiecti fieri potest, vt vni remittatur maior pœna, quam alteri, quia inuentus est reus maioris penarum propter plura, & maiora peccata, quod est per accidens, vt dixi. Tandem in remissione peccatorum venialium in hoc etiam reperitur quædam æqualitas, quia illa dispositio, quæ sufficit ad gratiam, sufficit ad remissionem omnium peccatorum venialium, quæ in subiecto inuenta fuerint, si aliunde non fuerit positum speciale impedimentum: quia Baptismus de se est efficacax ad hunc effectum, & ideo illum præstat, si non inuenit obicem.

*Dispositio ad gratiam, sufficit ad omnia que eam consequuntur.*

*In remissione peccatorum inæqualitas provenit ex parte subiecti.*

*Discrimen inter venialia & mortalia.*

*D. Thom.*

Est autem differentia inter peccata venialia & mortalia, quod remissis mortalibus non necessario remittuntur venialia, neque remisso vno veniali necessario remittuntur omnia. Quia potest quis veram attritionem vel contritionem habere de peccatis mortalibus, complacendo in venialibus: possunt ite venialia simul esse cum gratia sanctificante: & ideo licet illa infundatur per sacramentum homini attrito, non necesse est excludi venialia, si contingat, hominem in eis actu complacere, seu consentire: nam hæc prava dispositio actualis eorum remissioni repugnat, vt D. Thomas tradit infra quæstione 86, articulo 2. & ibi latius dicitur. Similiter potest vnum peccatum veniale displicere: quamuis aliud adhuc placeat, & ad remittendum veniale peccatum per se non requiritur gratiæ habitualis infusio: & ideo fieri etiam potest, vt per Baptismum tollatur vnum peccatum veniale absque alio, si Baptismus inueniat hominem affectum, & complacentem in aliquo peccato veniali, & non in alio: sic igitur in hoc effectu reperiri potest inæqualitas (vt sic dicam) extensiua ex imperfecta dispositione recipientis, seu potius ex contraria dispositione repugnante plenitudini, &

integritati huius effectus: quæ tamen non impedit substantialem effectum eius, qui est gratia, & remissio peccati mortalis: quia non excludit veram attritionem, vt dictum est, licet Paludanus, distinctione 4. Palud. quæstione 5. indicet, per solum veniale peccatum posse impediri effectum gratiæ sacramentalis, quod omnino falsum est, vt supra etiam tetigimus tractando de sacramentis in genere. Atque hinc tandem constat, in effectu remissionis penarum, quæ correspondet culpis venialibus, posse ex eadem radice reperiri aliquam inæqualitatem proportionatam remissioni culpæ, quia in hoc sacramento, remissa aliqua veniali culpa, tota pœna illi respondens remittitur: quia quoad hoc non potest poni obex specialis, neque etiam exigitur satisfactio remissa culpa: solum ergo potest relinqui aliquis reatus penarum temporalis, quatenus potest manere aliqua culpa venialis non remissa. Atque hæc de priori quantitate huius effectus.

Altera quantitas effectus Baptismi est intensiua: de qua longa postea instituta disputatio, nisi superius esset tractata in materia de sacramentis in genere: & ideo breuiter solum dicendum est pro qualitate dispositionis posse hunc effectum esse inæqualem, seu intensiorem, vel remissiorem, quod satis significauit Concilium Tridentinum sessione 6. capite 7. agens numero de gratia, cuius instrumentalis causa & Baptismus, dari docet vnicuique iuxta dispositionem eius: atque idem docet D. Thom. hic, cuius ratio est optima, de qua plura citato loco. Atque hinc inferre Soto d. 6. quæstione 1. articulo 6. hanc gratiam semper infundi intensiorem adulto, quam infantibus, quod est satis verisimile, quia semper adultus est melius dispositus, quam infans: nam hic nullam habet positiuam dispositionem, sed solum non repugnantiam: adultus vero semper esse debet positiuè dispositus per propriam actum, quod sanctificationis genus perfectius est.

Sed dicit aliquis, hanc rationem habere vim, si cætera sint paria ex parte subiecti: fieri autem posse, imo semper moraliter accidere, vt ex parte subiecti sit magna diuersitas: nam infans tantum habet originale peccatum: adultus vero habet simul peccata actualia. Vnde maiorem habet repugnantiam ad gratiam, quam infans: & ideo, licet aliquam habeat actualem dispositionem, tamen respectu talis subiecti non videtur illud reddere magis proportionatum ad maiorem gratiam accipiendam: præsertim si illa dispositio non sit contritio, sed tantum attritio. Hoc autem argumentum, si aliquis momenti est, consequenter probabit, ex duobus adultis, si aliter habeat plura peccata actualia, quam alius, licet cum eadem attritione accedant ad Baptismum, vel Pœnitentiam, maiorem gratiam accipere eum, qui pauciora habet peccata: quia, licet actus dispositionis in se sit æqualis, tamen respectu subiecti indignioris, magisque indispositi per plura peccata, moraliter censetur minor dispositio: sicut idem calor vt duo, in subiecto humidiori ac densiori dici potest minor dispositio ad ignem, quam in subiecto sicciore. Vnde vltimus etiam sequitur, adultum magis attritum posse recipere minorem gratiam per Baptismum, vel Pœnitentiam, quam alium minus attritum: videlicet si prior habeat plura peccata, & seruata proportione, sit maior excelsus in multitudine seu magnitudine peccatorum, quam in attritione.

Et fortasse non deerit, cui hæc omnia non videantur absurda: quia reuera habent aliquam speciem congruentiæ probabilis: nihilominus tamen mihi, sicut noua videntur, ita etiam minus probanda: sed dicendum est, inæqualitatem, vel perfectionem dispositionis simpliciter attendendam esse ex qualitate, specie, intensione, & quacunque alia perfectione positiua

Palud.

Effectus  
potest  
regi esse  
æqualis  
seu intensi  
remissiorem  
Concilium  
Tridentinum  
D. Thom.  
Soto

D. Thom.

Soto

Effectus  
potest  
regi esse  
æqualis  
seu intensi  
remissiorem  
Concilium  
Tridentinum  
D. Thom.  
Soto

D. Thom.

Soto

Effectus  
potest  
regi esse  
æqualis  
seu intensi  
remissiorem  
Concilium  
Tridentinum  
D. Thom.  
Soto

D. Thom.

Soto

Effectus  
potest  
regi esse  
æqualis  
seu intensi  
remissiorem  
Concilium  
Tridentinum  
D. Thom.  
Soto

D. Thom.

Soto

Effectus  
potest  
regi esse  
æqualis  
seu intensi  
remissiorem  
Concilium  
Tridentinum  
D. Thom.  
Soto

D. Thom.

Soto

Effectus  
potest  
regi esse  
æqualis  
seu intensi  
remissiorem  
Concilium  
Tridentinum  
D. Thom.  
Soto

D. Thom.

Soto

Effectus  
potest  
regi esse  
æqualis  
seu intensi  
remissiorem  
Concilium  
Tridentinum  
D. Thom.  
Soto

D. Thom.

Soto

positiua ipsius dispositionis, nulla habita ratione multitudinis, vel magnitudinis peccatorum, quae praecesserunt. Potest quidem propter plura vel maiora peccata maior reatus poenae temporalis relinquatur, ita tamen aequali dispositione, si iustificatio fiat ex tunc sacramento, vel in sacramento Penitentiae: nam in baptismo hoc non habet locum, ut iam diximus: tamen, quoad effectum gratiae non infunditur maior vel minor, ita tamen aequali dispositione propter pauciora, vel plura peccata praeterita, quia ab omnibus aequae ueritatis voluntas per aequalem dispositionem, & aequae ad Deum conuertitur, nec plura peccata praeterita faciunt illam dispositionem moraliter minorem: quia non sunt circumstantiae eius, & dispositio illa non accipit a dignitate vel indignitate subiecti proportionem illam seu congruentiam, quam habet ad effectum gratiae, sed ex gratia Spiritus sancti, & ex sua intrinseca perfectione. Denique, quia peccator, formaliter loquendo, tam est auertens à Deo, tamque repugnat gratiae per unum peccatum, sicut per multa: quamuis radicaliter, & demeritorie vnus sit auertens per plura peccata, quam alius, & conuersio vera attritio aequae disponit ad tollendam auersionem, ex quacunq; radice, seu uoluntate orta sit. Vnde tandem concluditur, seruata proportione, uere ac recte dici, adultum per propria dispositionem iustificatum, in baptismo maiorem gratiam accipere, quam infantem: quia est melius dispositus. Et haec de posteriori quantitate intensiua effectus baptismi.

Vna supererat hoc loco quaestio pertinet ad priorē partem huius quaestionis, scilicet, an is, qui ponit obicem gratiae sanctificanti recipiendae per hoc sacramentum, possit interdum recipere aliquem habitum infusum, saltem fidei, & spei: de alijs enim non potest esse quaestio, quia, iuxta communem sententiam, nunquam separantur à gratia sanctificante. Ratio autem dubitandi esse potest, quia Concilium Trident. sessio. 6. capite 7. tractans de prima iustificatione, quae fit per sacramentum Baptismi in re, uel in voto, dicit. In hac iustificatione cum remissione peccatorum haec simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui insertur, fidem, spem, & charitatem: ergo iuxta doctrinam Concilij adultus baptizandus, vel baptizatus non prius accipit fidem & spem, quam charitatem: sed quandoque ponit obicem gratiae, non recipit charitatem: ergo nec fidem, nec spem. Quae ratio fundata in auctoritate Concilij conuincit aliquos Theologos, ut hoc affirmarent. Ego uero in primis censco non fuisse hanc mentem, aut intentionem Concilij: quia nulla erat necessitas hoc definiendi: nec pertinebat ad institutum eius: quod enim Concilium eo loco intendit, solum est, in instanti iustificationis illa tria, scilicet, fidem, spem, & charitatem, esse inseparabilia à uera iustitia: atque adeo simul necessario esse debere in homine iusto: & hoc probat ratio sub iuncta à Concilio his uerbis. Nam fides, nisi ad eum spes accedat, & charitas, neque uinit perfectum Christum, neque corporis eius uium membrum efficit. Quod autem ante instanti iustificationis non infundantur fides & spes sine charitate, nec probari potest illa ratione Concilij: quia ante iustificationem potest homo esse vnus cum Christo imperfecte, & ut membrum mortuum. Neque etiam si erat necessarium ad doctrinam de iustificatione, neque aliquo firmo fundamento affirmari poterat: non est ergo haec mens Concilij: sed uel sumpsit, uerbum illud, accipit, non in rigore, ut significet initium essendi, sed latius, prout id significare potest, quod habere, seu possidere: uel certe illud ad uerbum, si uult, non est positum ad significandam durationem, seu initium eius: sed ut signum distribuens, ad significandam collectionem illarum trium uirtutum, & necessariam connexionem, quam inter se

habent, ut hominem plene iustificent: in quo sensu, quando dicit Concilium, hominem in iustificatione illa tria simul accipere, non oportet per iustificationem intelligere solum instanti infusionis gratiae sanctificantis, sed totam susceptionem, & spirituales immutationes, quae in homine fit à primae uocationis usque ad gratiae infusionem: haec enim acceptio illius uocis ualde uisitata est, ut ex ipsomet Concilio constare potest, ut latius traditur in materia de iustificatione.

Quocirca ualde probabile semper mihi uisum est, quod sicut fides & spes non pendet in conseruatione sua à gratia & charitate, ita neque in infusione. Est enim eadem ratio, nec facile poterit conueniens discrimen assignari: nam sicut homo semel iustificatus, amissa iustitia uere & supernaturaliter credit, ac sperat, & ut hoc possit conuenienter facere, retinet fidem & spem: ita peccator, qui incipit ad Christum conuerti, antequam perfecte amet uel efficaciter detestetur omnia peccata, potest uere & supernaturaliter credere ac sperare: ergo, ut hoc possit conuenienter & conaturali modo facere infundentur illi fides, & spes: nam ad illas est satis dispositus, & per illas melius disponi paulatim potest ad gratiam obtinendam, à qua hi habitus natura sua separabiles sunt. Neque in hoc reperiri poterit maius inconueniens inter habitus, quam inter actus: si ergo actus possunt antecedere, cur non etiam habitus? Vnde consequenter fit, accidere posse, ut in baptismo homo ponat obicem gratiae, & charitati, non tamen fidei & spei: quia potest credere, & sperare, non tamen de peccatis dolere: tunc ergo sacramentum habebit effectum circa fidem & spem, quamuis non habeat circa alia dona: quia sacramentum dat omnem effectum, cui non ponitur obex. Est enim ueluti causa naturalis, quae agit, quantum potest, si non sit impedita, si ergo potest dare plures effectus, & impeditur circa unum, & non circa alium, qui est ab altero independens, dabit unum, sine alio: sicut contingit in characterē & idem supra dictum est de remissione uenialium peccatorum.

Obseruandum uero est iuxta discursum factum, moraliter loquendo, semper accidere, ut habitus fidei ante baptismum infundatur: quia moraliter loquendo, necesse est, ut actus fidei in catechumeno antecedat: per quem actum disponitur, ut statim ei infundatur habitus: sicut, si prius tempore, quam baptizetur, habet amorem Dei super omnia, statim ei infundetur charitas, quae postea augetur per baptismum susceptum: & idem probabile est de fide cum eadem proportione. Si tamen contingeret, aliquem non habere uerum actum fidei usque ad illud instanti, in quo perficitur sacramentum baptismi: tunc prima infusio talis habitus fieret per ipsum sacramentum, & idem est dicendum proportionaliter de spe, in qua facilius potest accidere, ut ante baptismum non exerceatur per proprium & formalem actum suum: quia non est fundamentum totius iustitiae, & supernaturalium actuum, sicut est fides: sed haec res latius tractanda est in materia de iustificatione.

## SECTIO IV.

*Utrum effectus baptismi impediatur per fictionem datur, recedente fictione.*

Suppono, quaestionem hanc solum habere locum, quando baptismi sacramentum ualidum fuit: non tamen contulit effectum propter obicem suscipientis, qui obex, fictio appellatur, nam quando fictio opponitur ipsi sacramento, illudq; irritum reddit, nihil est, quod redire possit: cum nihil antea effectum fuerit, sed necesse est, sacramentum iterari. Ratio autem difficultatis in hac quaestione sic explicata est: quia causa physica non operatur, nisi quando exi-

*Probabile est fidem, & spem infundi posse ante baptismum.*

do existit: ergo si Baptismus non confert suum effectum, quando existit, nihil postea efficere poterit, cum eius efficientia realis a physica sit. In contrarium vero est: quia proprius effectus Baptismi, qui est, regenerare hominem in Christo, & remittere originale peccatum, & alia mortalia, quae cum illo sunt coniuncta, ita est proprius Baptismi, ut à nullo alio sacramento, nec per aliud remedium absque Baptismo fieri possit: hac enim de causa est Baptismus medium necessarium ad salutem, ergo necesse est, ut, vel ablata fictione praecedens Baptismus efficiat hunc effectum, vel ut iteretur Baptismus, vel det illum effectum, qui non potest, nisi per Baptismus dari: sed Baptismus iterari non potest, ut fides docet: ergo necesse est, ut praecedens Baptismus conferat effectum recedente fictione.

*August.*

Haec posterior ratio omnino conuicit Augustinum, ut doceret, Baptismus impeditum à suo effectum per fictionem incipere illum habere ablata fictione, sicut videre licet, libro primo de Baptismo capit. 11. & seq. & libr. 3. capit. 13. & libr. 6. capit. 5. & saepe alias, & refertur de Consecrat. distinction. 4. in capite Tunc valere. Atque hanc sententiam videtur etiam significasse Cyprianus in libro de Cardinalibus Christi operibus, verbis postea referendis. Et eandem amplexi sunt omnes Scholastici cum D. Thoma hic. Sed in ea explicanda potest esse nonnulla diuersitas. Variis enim modis intelligi potest, dari effectum Baptismi, recedente fictione. Primo, omnino materialiter, & quasi concomitanter: ita ut, remoto obice, verbi gratia, per contritionem, vere infundatur gratia, & remittatur peccatum originale cum aliis actualibus, quae per Baptismus tollenda erant, si fictio non intercessisset: & ideo dicatur tunc dari effectus Baptismi, id est, qui per Baptismus danduserat, si non impediretur: tamen reuera, quando talis effectus datur, Baptismus nihil circa illum operatur (iuxta hanc sententiam) nec physice, nec moraliter, sed sola contritio, ratione cuius datur gratia, & tollitur fictio, & concomitanter tolluntur omnia alia peccata. Ita opinatur Glossa. in capite Tunc valere. de Consecratione distinctione 4. dicens: tunc non dari remissionem peccatorum propter Baptismus, sed propter contritionem. Cuius sententiae fundamentum esse potest, quia hoc sufficit, ut omnia peccata remittantur quae per Baptismus remissa non fuere propter obicem: non ergo oportet nouos effectus, aut nouos causandi modos sine fundamento multiplicare. Item hoc modo facile expeditur difficultas in prima ratione dubitandi tacta: quae confirmari potest: quia sacramentum futurum non dat suum proprium & specialem effectum ex opere operato, antequam sit: sed, ad summum, dicitur contritio dare suum effectum in ordine, vel cum voto futuri sacramenti: quia veluti imponit obligationem suscipiendi illud, & sub hac veluti conditione, saltem voluntate & proposito concepta, confert suum effectum: ergo similiter sacramentum praeteritum, quod iam non est, non potest dare suum effectum ex opere operato: quia postquam praeterit, tam est nihil, quam quod nondum fuit: ergo contritio est, quae habet effectum: quae iam non indiget voto Baptismi, quia supponit illum susceptum, solumque poterit talis effectus Baptismo attribui, quia contritio supponit illum susceptum, nec dare illum posset, nisi praesupposito Baptismo, vel in ordine ad illum. Denique iuxta hunc dicendi modum dupliciter solui potest ratio in contrarium supra facta. Primo, dicendo, peccatum originale per se primo non posse tolli, nisi per Baptismus: tamen ex accidente & concomitanter posse tolli per Poenitentiam, quatenus per illam datur gratia, quae tollendo fictionem consequenter necesse est, ut tollat originale peccatum, & omnia alia mortalia cum illo coniuncta: quia vnum peccatum mortale non potest tolli, nisi tollantur omnia. Vel secun-

*Cyp.*

*D. Thom.*

*1. Sententia.*

*Glossa.*

do addi potest, hunc effectum attribui Baptismo, quia, ut sic fiat, necessario praesupponitur Baptismus.

Sed hic modus dicendi omnino est alienus à mente Augustini & aliorum Theologorum: & nullo modo probandus est: quia ratio supra facta in contrarium semper vim suam retinet, neque euasiones illae satisfaciunt: quia iuxta doctrinam Concilij Tridentini, sessione sexta & decimaquarta, in lege noua, nullum peccatum originale aut mortale remittitur, nisi per aliquod sacramentum in re, vel in voto, scilicet per Baptismus aut Poenitentiam: nam alia sacramenta non sunt per se instituta ad tollenda huiusmodi peccata: sed peccatum originale, & mortalia ante Baptismus commissa non tolluntur per poenitentiam sacramentum in re vel in voto: quia, cum non sint materialius, ipsum non potest habere efficaciam circa illa: ergo oportet tolli per Baptismus: sed in eo, qui iam baptizatus fuit ficte, non possunt tolli per Baptismus in voto: quia est incapax talis voti, sicut & alterius Baptismi: ergo tolli necessario debent per Baptismus iam susceptum, quamuis tempore praecesserit. Neque illud de remissione peccatorum per concomitantiam sufficit ad vim huius rationis eludendam: quia nunquam peccatum aliquod mortale remittitur per accidens, seu concomitanter per aliquod sacramentum, nisi cum ordine ac voto alterius sacramenti, per quod tolli potest per se, ut verbi gratia, quando quis bona fide accedens tantum, attritus ad Eucharistiam, per illam consequitur gratiam & remissionem peccatorum, dicitur ille effectus per accidens respectu Eucharistiae: quia semper fit per respectum ad sacramentum Poenitentiae, vel cum voto illius. Interdum etiam contingit, per sacramentum poenitentiae remitti aliquod peccatum tantum concomitanter ad remissionem aliorum, ut quando illud peccatum est oblitum, vel bona fide tacitum propter grauem causam: tunc autem & sacramentum ipsum Poenitentiae per se poterat habere virtutem ad tollendum peccatum, si in confessione aperiretur, & praeterea peccatum illud nunquam tollitur, nisi in virtute & voto alterius confessionis, in qua per se remittendum sit. At vero in praesenti, originale peccatum, & alia mortalia ante Baptismus commissa non respiciunt aliquam causam per se remissionis aliorum, nisi Baptismus: ergo non possunt, etiam concomitanter, tolli per aliud remedium, nisi cum ordine ad Baptismus, & non per votum Baptismi futuri: quia hoc nullum esse potest: ergo per ordinem ad Baptismus iam susceptum. Neque vero satis est, quod secundo loco dicebatur: posse hunc effectum tribui Baptismo: quia, ut sic fiat per contritionem sine voto Baptismi, necessario supponit Baptismus susceptum: quia haec habitudo non sufficit, ut talis effectus Baptismo attribuat: alias etiam remissio peccatorum, quae fit per sacramentum Poenitentiae, deberet tribui Baptismo: quia Poenitentia non posset habere illum effectum, nisi praesupposito Baptismo: & idem est de effectibus aliorum sacramentorum: ergo necesse est, ut alio proprio & speciali modo tribuatur ille effectus Baptismo, scilicet tanquam vnica cause & remedio necessario per se instituto ad talem effectum: ergo hoc modo Baptismus prius indigne susceptus confert postea remissionem peccatorum recedente fictione. Quod tandem ita confirmo: quia peccatum originale non contrahitur, nisi per generationem naturalem: ergo nec remitti potest, nisi per generationem spiritualem, iuxta illud, Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, &c. ergo quando peccatum originale deletur recedente fictione, tollitur per aliquam regenerationem spiritualem, quae tantum fit in baptismo: & non per praesentem, aut futuram: ergo per praeteritam.

Secundum

Secundus modus explicandi Augustini sententiam esse potest, ablata fictione redire effectum baptismi, quoad remissionem peccati originalis, & omnium mortalium, quae antea commissa fuerant: non tamen quoad specialem gratiam distinctam ab ea, quae daretur ratione contritionis, per quam tollitur fictio: neque quoad effectus alios, qui non sunt simpliciter necessarii, quatenus per baptismum fiunt, sed possunt alijs medijs obtineri, quales sunt remissio totius poenae temporalis, & omnium peccatorum venialium, & aliqua auxilia gratiae, quae fortasse dantur digne suscipientibus baptismum ratione ipsius sacramenti. Fundamentum huius sententiae esse potest, quia hoc factis est ad saluandam in baptismum necessitatem medijs ad salutem: nam hoc modo ratione illius conferretur ille effectus gratiae, sine quo homo saluari non potest: qui est remissio peccati originalis & mortalis: sed tota ratio ob quam dicitur effectus baptismi dari recedente fictione, est, quomodo est causa vnica & necessaria alicuius effectus gratiae necessarii ad salutem: ergo non oportet, vt hic effectus alio modo redeat, neque est aliquod probabile fundamentum ad id afferendum. Quod si dicas, baptismum non posse remittere peccatum, nisi det gratiam: quia peccatum non remittitur nisi per gratiam: Dicitur iuxta hanc sententiam, dari quidem gratiam intuitu seu ratione baptismi: non tamen distinctam ab ea, quae daretur per contritionem, seu eandem cum quadam habitudine seu morali respectu, non solum ad contritionem, sed etiam ad baptismum: ita vt veluti duplici titulo detur eadem gratia, baptismi scilicet, & contritionis: nam hoc factis est: neque oportet multiplicare gratias sine sufficienti fundamento. Atq; hoc modo expeditur facile prior ratio dubitandi in principio posita, quia non oportet, vt haec gratia physice fiat à baptismo praeterito, sed factis est, vt moraliter detur ratione illius, & in ordine ad proprium effectum baptismi, qui est regenerare hominem, & mundare illum ab originali culpa, & alijs, quae cum illa coniunctas inueniunt. Potest tandem confirmari haec sententia. Nam qui digne suscepit baptismum, & per eum gratiam baptismalem, si postea peccando illam amittat, & iterum postea poenitendo resurgat, non oportet, vt illi restituatur prior gratia baptismalis, quam amisit per peccatum: quia haec iam semel data est, & homo sibi imputare debet, si illam amittit, neque enim amplius ei debetur: ergo maiori ratione, si homo postea impedimentum gratiae baptismalis, non ei amplius debetur: sed factis est, quod gratiae poenitentiae addatur respectus ad baptismum, vt ratione illius intelligatur destruere illud peccatum, quod solus baptismus delere potest. Confirmatur secundo. Nam alias sequitur, eum, qui per baptismum sicte susceptum, de fictione alijque peccatis conteritur, maiorem gratiam accipere, quam recepisset per contritionem, nondum suscepto baptismo. Consequens est falsum: tum quia indigna susceptio non debet illi homini prodesse ad gratiae augmentum: tum, quia oporteret in illa gratia distinguere diuersos gradus, ex quibus aliqui darentur ratione baptismi, alij ratione poenitentiae: quod vix potest intelligi.

Hae sententia non caret aliqua probabilitate, mihi tamen simpliciter non placet. Primo, quia non videtur iuxta mentem Theologorum asserentium, effectum baptismi redire recedente fictione: simpliciter enim loquuntur de quolibet effectu baptismi: & maxime de effectu gratiae: atq; idem videtur sensus Augustini dicentis, non solum remissionem peccatorum, sed & charitatem & Spiritum sanctum dari ratione baptismi recedente fictione. Et idem videtur docere Cyprianus sermone de Passione Domini dicens, Et licet indigni sint, qui accipiunt (loquitur de baptismo) sacramentorum tamen reuerentia, & propinquorem ad Deum parat accessum, & vbi re-

dierint ad cor, constat ablutionis donum, & redit effectus munerum, nec alias quaeri aut reperi necesse est saluterum sacramentum. Video, haec testimonijs posse eludi, dicendo, dari quidem gratiam ratione baptismi, sed non nouam aut maiorem, quam daretur ratione ipsius poenitentiae. Sed hoc reuera magis est verbum, quam re ipsa dari, vel redire effectum baptismi. Quia ille respectus nihil addit ipsi gratiae, quae ex se habet formalem repugnantiam cum peccato originali, & quocumq; mortali. Et praeterea argumentor primo in hunc modum. Constituamus hominem, qui bona fide, & sine nouo peccato accepit baptismum sine sufficienti dispositione, atq; adeo sicte, & absq; effectu: si huiusmodi homo, antequam aliquod mortale peccatum committat, habet veram attritionem de peccatis praeteritis, consequetur effectum baptismi, vt infra dicam: quia reuera tollit fictionem, quae tantum posita fuerat in defectu talis dispositionis: ergo illi homini datur prima gratia baptismalis, quae data fuisset tempore baptismi, si non esset fictio: ergo illa gratia datur ratione solius baptismi, supposita subiecti dispositione: nam sola attritio per se non sufficeret ad talem gratiae effectum: ergo baptismus praeteritus sufficit recedente fictione ad dandam eandem gratiam: ergo semper eodem modo, & cum eadē proportionem operatur, si talis dispositio sit contritio: verbi gratia, vt quatuor nam per eam secluso baptismum, seu ante institutionem eius, daretur gratia vt quatuor: nunc vero maior gratia datur homini prius sicte baptizato, remoueti fictionem per eandem contritionem, vt quatuor, tum quia, si nō daretur nisi gratia, vt quatuor, nulla gratia daretur ex opere operato ratione baptismi, cum illa gratia non excedat latitudinem & proportionem contritionis, secundum se considerata: tum et, quia est eadē proportio, & quodammodo maior ratio. Nam si homini auferenti fictionem per attritionem datur ex opere operato aliqua gratia, multo maiori ratione dabitur idem effectus gratiae ex opere operato homini remouenti fictionem per contritionem.

Secundo argumentor, quia prima gratia, vt supra dixi ex Concilio Tridentino, non datur, nisi vel ex opere operato per aliquod sacramentum, vel per votum illius: sed quando recedit fictio posita in praeterito baptismum, datur prima gratia: ergo datur ex opere operato ratione baptismi per se loquendo: ergo non tantum datur gratia per se respondens contritioni, sed etiam aliqua, quae respondet efficaciae ipsius sacramenti, quod semper operatur, quantum potest, in subiecto disposito: semperq; aliquid amplius operatur, quam secluso sacramento fieret in eodem subiecto eodē modo disposito. Dixi autē per se loquendo, quia interdum fieri potest ratione alicuius peccati mortalis post baptismum commissi, vt illa prima gratia non tantum respiciat baptismum praeteritum, sed etiam votum sacramenti poenitentiae postea suscipiendi: hoc tamen nihil obstat: quia hoc est per accidens: & ad vim argumenti factis est, quod baptismus prius susceptus est sufficiens causa, vt illa gratia detur ex opere operato, etiam si non sit necessitas respiciendi aliud sacramentum. Quod sic etiam confirmatur, nam ille sic iustificatus saluabitur: ergo ex aqua & Spiritu sancto, quia non est alia via ad salutem: ergo recipit gratiam regeneratiuam per aquam baptismalem: ergo est effectus eius ex opere operato. Tertio argumentor, quia, iuxta probabiliorem, magisq; piam sententiam, gratia per Baptismum semel comparata, etiam si per peccatum mortale amittatur, iterum recuperatur per poenitentiam, vt latius sequenti romo dicturi sumus: ergo similiter eadem gratia baptismalis, quae danda fuisset homini non sicte, dabitur recedente fictione: est enim eadem ratio, vt magis ex dicendis constabit in quibus alia addemus, quae hunc dicendi modum factis improbare videntur.

3. Ser. Aen. 117.

Tertius igitur ac verus dicendi modus est, ablata fictione dari totum effectum baptismi cum tota extensione & intentione, cum qua in principio daretur, si fictio non interfuisset. Ita enim significant verba Sanctorum & Theologorum simpliciter sumpta. Et sigillatim declaratur: nam in ostensum est, & cum ea dantur omnes virtutes & dona: nam haec omnia, vel sub nomine gratiae sanctificantis comprehenduntur, vel in ea tanquam in radice continentur, & quasi naturali sequela consequuntur. Deinde datur remissio peccati originalis, & omnium mortalium, quae cum illo coniuncta sunt, non tamen omnia eodem titulo ac ratione, nam quae commissa fuerunt ante baptismum, per se tolluntur virtute illius: quia remissio eorum est proprius ac per se effectus eius: quae vero post baptismum commissa sunt, tolluntur, & concomitanter, seu per accidens respectu baptismi, & per se respectu poenitentiae, seu in voto eius. Unde quoad haec peccata mortalia post baptismum commissa non dicitur proprie redire effectus baptismi: quia baptismus nunquam habuit virtutem per se ad remittenda haec peccata: sed dicitur effectus baptismi necessario coniungi cum remissione eorum peccatorum, & cum effectu virtutis poenitentiae, ut includentis votum sacramenti poenitentiae: eo quod non possit tunc proprius effectus baptismi sine alio fieri: quia non potest vnum peccatum mortale sine alio remitti. Atque hinc fit, ut tunc etiam detur integra remissio poenae, quae respondet peccatis mortalibus, ante baptismum commissis: non vero illius poenae, quae debetur propter peccata postea commissa: quia remissio illorum est effectus per se baptismi, qui nullam satisfactionem postulat ad plenam remissionem totius poenae: sed solum dispositionem sufficientem, ut tollatur culpa horum autem remissio per se spectat ad sacramentum poenitentiae, in cuius voto fit: & ideo, licet concomitanter tollantur, quando baptismus habet suum effectum ablata fictione: non tamen omnino remittuntur quoad poenam, sed iuxta dispositionem, & satisfactionem peccatoris: & ita, quoad haec potest manere reatus poenae temporalis, etiam si baptismus suum integrum effectum habeat. Praeterea datur recedere fictione remissio peccatorum venialium, quae commissa sunt ante baptismum, & poenae, quae ijs correspondet, si tamen fictio etiam tollatur respectu illorum: ita ut non perseueret homo in complacentia eorum: sicut enim potest peccatum mortale sine veniali remitti: ita potest tolli fictio, ut impedit remissionem mortalium, & non ut impedit remissionem venialium: & tunc fiet prior effectus sine posteriori: quia vni ponitur obex, & non alteri, & vnus est ab alio separabilis: si autem obex & fictio simpliciter tollatur respectu omnium, omnia absolute remittentur ex fundamento iacto: quod, ablato impedimento, sacramentum operatur, quantum potest: non minus autem potest operari baptismus prius receptus, & veluti manens in acceptance diuina, quam actu existens.

Quomodo remittantur mortalia post baptismum commissa recedente fictione.

Quomodo remittantur venialia recedente fictione.

Dices, quid si prius ablata est fictio respectu mortalium tantum, & post aliquod tempus respectu venialium: nunquid baptismus successiue, & quasi per partes tunc conferet hos effectus diuersis temporibus? Videtur enim hoc esse inconueniens: quia oporteret gratiam etiam baptismalem paulatim, & quasi per partes infundi. Respondetur, quamuis non fit exque certum redire effectum baptismi quoad remissionem venialium: quia baptismus non est medium necessarium ad huiusmodi remissionem: nihilominus probabilius est, etiam hunc effectum redire: quia si baptismus ita est institutus, ut possit operari ablato impedimento ex parte suscipientis, etiam si ipse iam non existat, non est verisimile, hoc esse limitatum ad vnum effectum eius potius, quam

ad alium: nullum enim fundamentum est ad id excogitandum: praesertim, quia gratia illa, quae datur recedente fictione, tam vere est regeneratiua, ac si esset data in praesentia baptismi, & ideo, quantum est de se, omnino transmutat hominem, & delet omnem maculam superioris vitae. Unde si vltimus probabile, totum hunc effectum simul redire, si respectu totius simul tollatur fictio, vel etiam successiue & diuersis temporibus, si eodem modo auferatur impedimentum, quia causa semper manet eadem, & cum eadem virtute ac determinatione ad operandum, si ex parte subiecti auferatur impedimentum. Quid ergo mirum, si impedimentum paulatim auferatur, effectum etiam paulatim, & per partes conferri? Neque enim necesse est, ut gratia ipsa sanctificans paulatim etiam detur illis diuersis temporibus: nam hoc ipso, quod auferatur fictio respectu mortalium peccatorum: tollitur etiam obex respectu totius gratiae baptismalis, quia peccatum veniale, ut sic, non repugnat gratiae, neque intentioni eius: & e contrario, ut postea tollantur peccata venialia, non est per se necessaria gratiae infusio, sed ipsa gratia regeneratiua & baptismalis, ablato impedimento, est sufficiens ratio remissionis eorum, quod si fortasse tunc coniungitur cum remissione venialium aliquod augmentum gratiae, illud non erit ex opere operato ratione baptismi praeteriti, sed fortasse ex merito ipsius operantis fundato in aliquo actu bono, quo displicent illi venialia peccata, vel alio simili.

Sed quaeres vltius, quid de peccatis venialibus commissis post baptismum, nunquid illa etiam tollentur ablata fictione? Respondetur, per se loquendo non est necesse illa tolli, quia nec per se hoc pertinet ad baptismum, quia, ut saepe dictum est, non habet efficaciam circa peccata post illum susceptum commissa: neque etiam concomitanter: quia remissio venialium non habet necessariam connexionem cum remissione mortalium. Attendenda est ergo qualitas & virtus illius dispositionis, per quam fictio remouetur: nam si illa fit per se sufficiens dispositio, aut meritum operandi ad tollenda huiusmodi venialia, absque eo quod sacramentum aliquid suppleat ex opere operato, tunc quidem remittentur: si autem dispositio non fuerit huiusmodi, manebit reatus talium peccatorum, vel omnium, vel aliquorum, pro ratione dispositionis: quia baptismus prius susceptus nihil omnino iuuat ex opere operato ad horum remissionem. Atque eodem modo censendum est de remissione poenae, quae propter haec peccata debetur: fiet enim iuxta dispositionem & satisfactionem operantis, & non amplius. Tandem ablata fictione, dabitur omnis gratia sacramentalis, si quae fortasse est in baptismo praeter ipsam gratiam sanctificantem, ut regeneratiua: quale erit auxilium aliquod speciale opportuno tempore datum ad baptismi effectum conseruandum, vel aliquid huiusmodi: Quod probari potest ex fundamentis & rationibus supra positis, & praeterea, quia hic effectus gratiae est maxime necessarius, & conueniens homini: non ergo debet illo perpetuo priuari: alioqui, saltem propter illum recipiendum, oporteret iterum baptismum suscipere: cum ergo baptismus iterari non possit, oportuit, ut haberet hanc vim dandi omnem huiusmodi gratiam, quocumque tempore obicem non inueniat. Propter quod etiam verisimiliter credi potest, etiam si sapius homo peccando ponat obicem huic effectui, tamen si resurgat, & praesertim si opportuno tempore, in quo dandum est hoc auxilium, non habeat impedimentum peccati, non fore illo priuandum propter priora peccata iam remissa. Quod videtur docuisse Cyprian. serm. de ablutione pedum, his verbis. Nunc contemptum suum non statim vlciscitur Deus, nec per singulas offensas iudicantis ira discurrit, nec obstruit

obstruxit fonti misericordiae suae ostia meatusque multiplices: sed obuiat fugientibus, & cogit regredi desperatos ostendens eis penitentiae viam, qua nulla latior inuenitur, & reuersis dat, vt iterum eis possint sacramenta prodesset: quorum, si penitentia non subesset nullo modo deinceps experiri possent effectum. Ex his ergo satis constat quomodo ablata fictione detur totus effectus? Baptismi, quoad extensionem eius.

Quo gradu  
extensio  
velat gra-  
tia recedat  
et fictio.

Sed circa intentionem huius effectus est non parua difficultas, quomodo intelligendum sit, redire totum effectum gratiae, quoad intentionem ablata fictione. Et ratio dubitandi est, quia haec intentio gratiae, quae datur ex opere operato, non est omnino indiuisibilis, & determinata: nam si huiusmodi effectus, nulla relinquatur difficultas, quin tota daretur iuxta principia posita: non tamen ita est, sed potest haec intentio esse maior & minor iuxta dispositionem operantis magis, vel minus perfectam. In eo autem, qui sicte suscipit baptismum, nulla fuit dispositio ad gratiam, vel intentionem eius: quae ergo intentio danda est recedente fictione, aut per quam dispositio vel mensuram est definienda.

1. Dicitur  
mod.

Duos potui excogitare dicendi modos. Primus est, dari minimam gratiam, quae ex opere operato dari potest per Baptismum, qualis est illa quae datur infantibus, & cuiuscunque neque obicem contrarium, neque positiuam dispositionem ad gratiam habenti. Ratio huius sententiae esse potest, quia in huiusmodi homine nulla est dispositio ad Baptismum, ratione cuius effectus gratiae excedat illum minimum gradum quia dispositio ad baptismum digne suscipiendum solum est, quando ipse baptismum suscipitur: tunc autem nulla fuit talis dispositio: quia, vt supponitur, sicte & indigne susceptus est: ergo non est, vnde effectus gratiae excedat praedictum intentionis gradum. Dices, posse excedere ratione subsequentis dispositionis, per quam tollitur fictio: nam quo illa fuerit melior: tanto videtur futurus hic effectus maior. Vnde, cum semper sit necessaria aliqua positiuam dispositio ad tollendum obicem, semper ex hoc capite dabitur intensior gratia, quam daretur cum dispositione neutra (vt sic dicam) id est, nec positiuam, nec repugnante. Sed contra hoc est, quia ille actus, quo postea tollitur fictio, reuera non est dispositio ad baptismum: quia non praeparat hominem ad illum digne suscipiendum: solum ergo deseruit respectu baptismi, tanquam remouens prohibens: non tanquam positiuam praeparans: ergo, quod ille actus sit magis vel minus perfectus, nihil refert ad effectum baptismi: quia ad remouendum obicem quilibet est aequae sufficiens: ergo baptismus tunc per se non operatur in subiecto positiuam dispositio, sed tantum in subiecto non habente obicem: dabit ergo illi minimum effectum, quoad intentionem.

Confirmatur & declaratur a simili, supposita probabili sententia: quod per quamcunque contritionem cuiuscunque intentionis redeunt omnia merita per peccatum mortificata, & omnis gratia amissa: hoc enim positio fieri potest, vt per contritionem, vt quatuor, detur gratia, vt centum: & per contritionem, vt octo non semper detur maior, sed interdum minor: quia licet illis contritionibus, vt sunt dispositiones ad nouam gratiam, respondeat diuersus effectus, maior intensiori, & remissiori minor: tamen vt remouent obicem priorum meritorum, quantum est ex se, aequae operantur: quia in hoc habent quandam aequalitatem, quia vtraque remouet totum obicem, quo sublato omnia merita praecedentia redeunt, siue sint minora, siue aequalia, siue maiora: quia respectu illorum illa contritio non se habet vt dispositio, sed tantum vt remouens prohibens: sic ergo in praesenti, actus, quo tollitur fictio, solum se habet, vt remouens obicem: & ideo non refert, quod in se sit magis vel minus perfectus: quia in efficacia tollendi obicem omnes sunt aequales, & tan-

Franc. Suarez Tom. 3.

tam sub hac ratione tunc concurrunt ad effectum baptismi.

Et confirmatur secundo haec sententia, quia recedente fictione solum datur effectus baptismi ratione praecedentis susceptionis eius, eo modo quo tunc facta est, & acceptata a Deo ad talis effectum: sed tunc susceptio baptismi ex parte suscipientis fuit sacrilega, & indigna, quamuis ex parte baptismi semper de se fuerit efficax & sufficiens ad gratiam: ergo ille baptismus sic susceptus solum acceptatur ad dandam minimam gratiam, quam Baptismus ex se potest dare, quia ex parte subiecti nihil fuit, vnde posset crescere ille effectus. Neque enim conuenienter dici potest, tunc non acceptari ad determinatum effectum, sed confuse ad talem effectum, qualis postea fuerit dispositio, per quam tollitur fictio. Hoc, inquam, non placet, quia sacramentum determinatur ad effectum iuxta capacitatem, & dispositionem, quam habet subiectum eo tempore, quo recipit sacramentum, non iuxta eam, quam postea est habiturum, vt patet inductione facta in omnibus sacramentis, & in omnibus causis efficientibus, quae ex dispositione subiecti habent aliquo modo determinatos effectus. Item ratione morali: quia hoc expedit ita fieri, vt homines excitentur ad digne suscipienda sacramenta.

Vnde plures rationes oriuntur, quibus haec sententia amplius confirmari potest. Vna est, quia ei, qui indigne suscipit baptismum, non datur postea gratia recedente fictione, nisi ob sanctitatem & efficaciam baptismi, vt est medium necessarium ad salutem: non vero propter id, quod homo ex parte sua adhibuit in tali susceptione: nam ex hoc capite potius fuisset priuandus omni gratia: ergo satis superque est, quod detur ei minima gratia baptismalis, na haec est, quam baptismus de se semper efficit, nulla habita ratione dispositionis subiecti, sed solum remouit obice: nam haec sufficit ad salutem, & ad necessitatem baptismi & efficaciam eius: & quod non detur maior, quodam modo debetur indignae susceptioni. Altera ratio, seu tertia confirmatio est, quia si aliquis accepit baptismum cum attritione vt duo: alius vero sicte, & vterque postea habeat attritionem vt tria, non est verisimile, maiorem gratiam ex opere operato accipere eum qui sicte baptizatus est quam eum, qui digne cum attritione vt duo: ergo: quamuis ille, qui sicte accepit sacramentum, postea tollat fictionem per attritionem vt tria, non recipiet tantam gratiam ex opere operato, quantum accepisset, si tempore baptismi habuisset illam attritionem vt tria: alioqui acciperet maiorem gratiam ex opere operato, quam alius, qui baptizatus fuit cum attritione vt duo, quod videtur incredibile.

Et potest in hunc modum etiam explicari, nam ei, qui baptizatus est cum attritione vt duo, licet habeat postea attritionem vt tria, non propterea confertur maior effectus ex opere operato: quia ille iam fuit definitus ex priori dispositione, quae cum ipso baptismum concurrat: ergo neque ei, qui indigne suscipit baptismum, attritio vt tria postea habita utilis esse debet, vt effectus ex opere operato in eo crescat: sed satis est, vt deseruiat ad tollendum obicem. Tandem, potest alio modo vis huius rationis declarari, nam baptismus, sicut dat gratiam homini non ponenti obicem, ita maiorem dat homini bene disposito, & adhuc maiorem melius disposito: ergo sicut in homine adulto carentia dispositionis absolute & simpliciter est obex ad totum effectum sacramenti, ita carentia perfectioris dispositionis dici potest obex respectu perfectioris gratiae ex opere operato recipiendae: sed, qui recipit sacramentum cum dispositione imperfecta, quamuis ex parte sua obtulerit perfectiori gratiae, non potest postea per contritionem, vel attritionem perfectiorem quasi remouere illum obicem, & se disponere, vt ille effectus ex opere operato crescat: quia iam effectus baptismi fuit

Dd 2 determini-

determinatus in ipso instanti receptionis eius, & subsequens contritio iam non est dispositio ad illum: ergo simili ratione & proportionione dicendum est de eo, qui posuit obicem toti effectui, nimirum, quod maior vel minor contritio, aut attritio postea habita, non sit in eo dispositio ad perfectiorem effectum ex opere operato, sed solum ad remouendum obicem.

Dices, si hæc ratio esset efficax, probaret, quod sicut maior perfectio effectus baptismi semel impedita ex imperfecta dispositione suscipientis non potest postea recuperari, velati auferendo obicem per meliorem dispositionem: ita neq; absolutus effectus gratiæ semel omnino impeditus possit postea redire ablata fictione, etiam quoad minimam gratiam. Respondetur non esse parem rationem: quia aliqua gratia baptismalis est necessaria ad salutem: perfectio autem gratiæ non est ita necessaria: & ideo baptismus, quomodo cunq; recipiatur, acceptatur ad aliquam gratiam dandam remoto obice: non vero ad perfectionem gratiæ, nisi pro ratione presentis dispositionis. Item est alia differentia, quia respectu perfectioris gratiæ non datur obex contrarius, proprie loquendo, sed tantum negatiuus: quia est carentia perfectioris dispositionis, qui obex postea nullo modo auferri potest, quia licet possit haberi perfectior actus, non tamen perfectior dispositio, quia postea elicitus actus neq; est, neque esse potest dispositio ad baptismum: at vero respectu gratiæ absolute, præter negatiuam dispositionem concurrunt semper contraria: scilicet, peccatum aliquod gratiæ repugnans: & huiusmodi obex auferri potest per aliquam detestationem illius, scilicet per conuersionem in Deum illi repugnantem aliquo modo: & ideo potest redire effectus gratiæ, prout est necessarius ad expulsiōem peccati, quamuis non redeat, quoad maiorem perfectionem, quæ pendet ex meliori dispositione.

Vltimo confirmatur, & declaratur hæc sententia à simili ex modo, quo reuiuiscit gratia baptismalis semel habita & amissa: nam si quis digne recepit baptismum cum contritione vt duo, & postea peccauit, & deinde resurgit per contritionem vt quatuor, quamuis illi iterum detur gratia baptismalis ablato obice peccati, non tamē illi datur tanta gratia ratione baptismi, quam data fuisset, si in ipsa susceptione baptismi habuisset contritionem vt quatuor: sed præsertim restituitur illi gradus gratiæ, quos baptismus habere potest in homine contrito vt duo: quia illa gratia non est mensuranda per dispositionem, per quam postea auferitur obex, sed per eam, quæ fuit tempore susceptionis baptismi: ergo multo maiori ratione si prius accepit baptismum sine vlla contritione, vel attritione, & postea resurgit per contritionem vt quatuor, non dabitur illi tanta gratia ratione baptismi, quanta daretur homini suscipienti illum cum contritione vt quatuor: alioqui, ceteris paribus, meliorem effectum baptismi consequeretur, qui indigne illum suscepit, quam qui digne, licet tardius, seu tempore posteriori, quod videtur satis absurdum: quia contritio illa, per quam remouetur obex, non magis est dispositio ad baptismum in vno, quam in alio. Quæ ratio, & omnes aliæ factæ eadem proportionione probant, ablata fictione nunquam dari tantam gratiam ex opere operato ratione baptismi, quanta data fuisset homini digne suscipienti illum quacunque dispositione minima & imperfecta. Vnde tandem concluditur, recedente fictione solū dari minimam gratiam, quæ determinata est ex ipsa institutione baptismi ad certum gradum, sine ordine ad positiuam dispositionem suscipientis, sed solum ad subiectum nō habens obicem, seu remouens illum: nam licet baptismus non semper det hunc effectum ob indispotionem suscipientis, semper tamen ad illum acceptatur, vt remoto obice illum conferat. Atque hæc sententia videtur certe non solum probabilis, sed etiam

vera: nam rationes & coniecturæ adductæ videntur congruentissimæ & satis virgines.

Nihilominus potest quis opinari, recedente fictione dari ratione baptismi, & ex opere operato maiorem vel minorem gratiam iuxta qualitatem actus seu dispositionis, per quam remouetur obex: Iuxta quam sententiā consequenter dicendum est, tantam gratiam dari recedente fictione, quanta data fuisset, si in ipso baptismi homo habuisset eandem dispositionem, quam habet, cum tollit fictionem, nam supposito priori principio; quod hic effectus crescat vel minuatur pro qualitate actus, quo remouetur fictio, nō potest certior regula præscribi huius proportionis, nec solidius fundamentum dari, quam tribuendo baptismi totum effectum suum, stante eadē proportionione in subiecti dispositione. Itaq; baptismus semel receptus tam est efficax ad operandū, recedente fictione, quam in principio actu existens: ergo tantam gratiam dat, recedente fictione, cum tali dispositione, verbi gratia, contritione vt quatuor, quantum in principio daret, si cum eadem susceptus fuisset: antecedit patet inductione supra facta in omnibus alijs effectibus: & ratione, quia est eadem causa, & eadem virtus, in qua perinde est manere in acceptatione diuina, ac si actu existeret: consequentia vero patet à paritate rationis. Nec videtur satis esse dicere illum actum, quo tollitur fictio, non esse dispositionem ad sacramentum: nam satis est, quod sic dispositio ad effectum sacramenti: nam licet sacramentum præcesserit, quoad suum esse: non tamen quoad efficaciam suam: quia nondum contulit effectum suum: & ideo recte intelligi potest, quod, licet non possit homo iam se disponere ad sacramentum suscipiendum: possit tamē se preparare ad gratiam, non solum vt gratia est, sed etiam vt effectus sacramenti est: & quod hac ratione detur inæqualis effectus dispositioni proportionatus. Neq; in hoc oportet idem ferre iudicium de hoc effectu sacramenti, qui datur recedente fictione, & de reuiuiscencia meritum, seu reditu gratiæ per peccatum amissæ: certius enim est, baptismum habere effectum recedente fictione, quam gratiam semel per baptismum comparatam, & per peccatum amissam, per penitentiam in integrum restitui: gratia enim, quæ datur propter sacramentum recedente fictione, vere est effectus sacramenti, & in eius efficacia & necessitate fundatur: gratia vero, quæ per penitentiam restituitur, iam tunc non est proprie effectus baptismi: sed, si restituitur, solum est, quia acceptatio ad gloriam, quæ correspondet tali gratiæ, de se est perpetua, & firma, nisi homo ponat impedimentum perfectum: & ideo, ablato hoc impedimento per penitentiam, restituitur illa gratia, non vt nouus effectus sacramenti: & ideo non commensuratur presentis dispositioni: at vero gratia, quæ datur recedente fictione, potest commensurari dispositioni, non solum vt remouenti obicem, sed etiam vt preparanti subiectum ad effectum sacramenti.

Denique, ex hoc dicendi modo non sequitur aliquod inconueniens: nā, licet fateamur, eum, qui indigne suscepit baptismum, si postea resurgat per contritionem vt quatuor, maiorem gratiā baptismalem accipere, quam eum, qui digne suscepit baptismum cum contritione vt duo, nihil absurdum, vel incommodum in hoc esse videtur: quia ille, qui indigne suscepit baptismum, non ratione peccati, quod tunc commisit, fructum aliquem accipit, sed magnum potius inde sentit detrimentum: quia eo tempore caruit diuina gratia, & fauoribus, & auxilijs proprijs superiorum Dei: si quid ergo vberioris fructus consequi videtur, totum prouenit ex perfectiori contritione, qua se ad effectum sacramenti preparauit. Quod enim hæc contritio posterior tempore sit, non refert: quia moraliter coniungitur cum ipso sacramento, & preparat subiectum ad effectum illius. Et ideo etiam nihil

nihil obstat, quod alter, qui digne suscepit sacramentum cum remissa contritione, postea habeat alios actus contritionis intensiores: quia illi iam non sunt dispositiones ad effectum sacramenti. Sicut, si constituantur duos, quorum alter nunc accipiat Baptismum cum contritione vt duo, postea vero successu temporis habeat feruentissimos actus amoris, & contritionis: alius vero in fine vite baptizetur cum contritione vt quatuor: hic posterior maiorem gratiam baptismalem secū afferet, quam alius, etiam si fortasse aliunde plura habuerit peccata, & pauciora merita: quia hæc sunt accidentaria ad effectum sacramenti: ita vero est in præsentia: nam ita censendum est de illo, qui posteriori tempore tollit fictionem per nobiliorem actum, & dispositionem, ac si tunc cum eadem dispositione sacramentum accepisset.

*Præsupponitur, quod potest absque magna difficultate effugere vim superiorum rationum, & non est dubium, quin potuerit Christus Dominus hunc effectum, aut efficaciam sacramenti insinueret: totum enim hoc negotium ex illius institutione pendet, quam coniecturis potius, quam firmo aliquo fundamento, inuestigare possumus: & ideo vterque modus dicendi est probabilis: prior tamen videtur mihi verisimilior, magisque consentaneus communibus legibus sacramentorum, & conuenienti prouidentia, ad quam expedit, vt maiorem fructum reportet, qui melius dispositus ad sacramentum accedit: & ideo, quod dispositio ad effectum propria tantum ea sit, quæ simul est dispositio ad ipsum sacramentum, dignamque susceptionem, & reuerentiam eius.*

*Ad fundamenta aliarum opinionum: & ad rationem dubitandi in principio positam: ad quam breuiter dicitur ex principijs supra positjs disputando de sacramentis in genere: sacramentum, quando habet effectum recedente fictione, non conferre illum, vt instrumentum physicum, sed Deum solum dare effectum ratione sacramenti prius suscepti: & hæc est facilius, & intelligibilior responsio, quam alia, quæ dari solent: neque in ea est vllum inconueniens: quia neque est necesse, neque possibile, quod res, quæ, si existeret physice, operaretur, etiam non existat, physicum influxum adhibeat: neque è conuerso necesse est, vt sacramentum, quod, cum iam non existit, operatur tantum moraliter, & non physice, etiam cum existit, & in subiecto non inuenit obicem, non operetur physice, sed tantum moraliter: sed potius consentaneum rationi est, vt causa actu existens maiorem efficaciam habeat, saltem in modo operandi: quæ omnia in prædicto loco latius tractata sunt. Atque hinc satis responsum est ad fundamentum primæ sententiæ: negamus enim, absque proprio effectu gratiæ sacramentalis vere ac proprie saluari, quod sacramentum habeat suum effectum recedente fictione, vt satis declaratum est.*

*Ad confirmationem vero ibi adiunctam ex comparatione inter sacramentum iam receptum, & postea suscipiendum, quod non magis possit vnum habere effectum ex opere operato, quam aliud: aliqui concedunt proportionem: & affirmant, effectum gratiæ, qui datur per contritionem in voto sacramenti, attribuendum esse ipsi sacramento tantumquam propriæ causæ morali, atque ita dici posse effectum ex opere operato respectu illius: nam huiusmodi causalitas ex opere operato, cui latius pateat, quam causalitas physica, non requirit necessarium actualem, & realem existentiam causæ: potest ergo attribui sacramento futuro, sicut præterito. Sed hic dicendi modus, quamuis fortasse magis in verbis consistat, quam in re, mihi non probatur, vt sæpe in superioribus terigi: primo quidem, quia, si Baptismus in voto operaretur ex opere operato, sicut dicitur causare gratiam, ita dici posset causare characterem, quia non*

est maior ratio de vno effectu, quam de alio: imo videtur esse maior ratio de characterem: quia est veluti potentia passiva ad omnia sacramenta, & ad omnes effectus ex opere operato sacramentorum: & ita inter effectus Baptismi est primus omnium. Secundo, quia, si post Baptismum in voto aliquis accipiat Baptismum in re, tunc recipit ex opere operato totam gratiam, quam hoc sacramentum dare potest cum tali dispositione: ergo signū est, prius non fuisse operatum sacramentum ex opere operato: quia idem sacramentum non confert ex opere operato duplicem effectum distinctum. Tertio, ratio à priori esse videtur, quia in ipsis terminis videtur esse repugnantia, quod effectus detur ex opere operato, & tamē quod detur prius, quam opus fiat: quia in ipsismet verbis: (opus operatum) includitur realis applicatio & effectio ipsius operis: cui talis effectus coniunctus est ratione ipsius operis, re ipsa exhiberi, cui promissa est specialis virtus, seu priuilegium. Ex qua ratione clara est responsio ad prædictam confirmationem: negando similitudinem: & ratio differentiæ non est posita in reali & actuali existentia, vt bene probat ratio ibi facta: sed est in hoc posita, quod sacramentum præteritum iam semel fuit re ipsa susceptum, & applicatum sufficienter ad operandum, ratione ipsius operis iam operati: sacramentum aut futurum nondum applicatum est, neque operatum (vt sic dicam) & ideo non potest habere effectum ex opere operato.

Ad fundamentum secundæ sententiæ iam satis declaratum est, quæ sit necessitas, ob quam oportet, dari ratione Baptismi specialem effectum gratiæ, recedente fictione. Petitur autem in vltima confirmatione ibi posita (cætera enim omnia expedita iam sunt) specialis difficultas, nimirum si recedente fictione datur aliqua gratia ratione Baptismi: & aliqua ratione contritionis seu sacramenti penitentia, quomodo possit hic effectus diuidi, & attribui huiusmodi diuersis causis: sed quia hæc difficultas supponit aliqua in seq. sect. tractanda: ideo in fine illius commodius explanabitur.

## SECTIO V.

*Quenam dispositio sufficiat ad tollendam fictionem, vt Baptismus suum effectum habere incipiat.*

Tota difficultas est, an requiratur contritio, vel sufficere possit attritio. Et ratio dubitandi est, quia, si in ipsa susceptione sacramenti adfuisse attritio, illa fuisset sufficiens ad fictionem tollendam: ergo etiam postea adhibita ad eundem effectum valebit. In contrarium vero est, quia fictio nihil aliud fuit, quam peccatum: ergo tollere fictionem nihil aliud est, quam tollere peccatum: sed attritio non sufficit ad tollendum peccatum: ergo neque ad tollendam fictionem. Duobus modis contingere potest, vt supra vidimus, hominem esse fictum in ipsa susceptione Baptismi: Vno modo absque actuali peccato sacrilegæ susceptionis, vt si bona fide accedat, putans se esse attritum, non tamen sit: aut, si inuincibiliter existimet, non esse necessariam aliam dispositionem præter fidem, & voluntatem Baptismi. Secundo modo potest quis esse fictus, actualiter peccando, & sacrilegium committendo in ipsamet susceptione Baptismi: quia nimirum praua conscientia sciens, & videns, vel culpabiliter ignorans, ita accedit. Et vtroque modo euenire potest, vt homo post Baptismum acceptum aliqua peccata mortalia commiserit, aut quod nunquam postea mortaliter peccauerit.

Dico ergo primo. In eo, qui neque in susceptione Baptismi, nec post Baptismum susceptum, mortaliter peccauit, sed ex inculpabili ignorantia fictus accessit, sufficit postea sola attritio ad tollendam fictionem, & ad gratiam & remissionem peccatorum, ratione Baptismi obtinendam. Hæc conclusio à fortiori colligitur ex authoribus statim citandis: & eam apud me



sum commissa, esse cōiuncta cum aliis commissis post Baptismum, & recedente fictione, omnia deleri medio actu penitentiae, qui per se non sufficeret ad satisfactorem pro omni peccata: nihilominus priora peccata omnino debebuntur, quoad omnem poenae reatum, licet de posterioribus maneat aliquis reatus poenae temporalis: quia in hoc reatu poenae temporalis delendo non est necessaria connexio: sed potest optime auferri reatus poenae temporalis respondens vni peccato, manente reatu, qui alteri peccato responderet: ex hac ergo parte non est repugnantia, & alioqui Baptismus habet totum effectum suum, si ex parte subiecti non repugnet: debet ergo omnino priora peccata, quamuis posteriora non profus tollantur, quoad reatum poenae temporalis.

Dico secundo: Si post Baptismum susceptum aliquod peccatum mortale commissum est, necessaria erit contritio ad tollendam fictionem, & recipiendum effectum Baptismi, siue in ipsa susceptione denuo peccatum sit, siue non. Loquor de contritione per se ac praecise consideranda internam hominis dispositionem, vt separatam ab omni alio sacramento: nam de hoc dicemus conclusione quarta. Hanc cōclusionem significat Scotus paulo antea citatus, & Paludanus in 4. dist. 4. q. 5. nu. 2. 4. clarius Durandus, questio. 4. Soto, & alij. Et probatur ratione: quia illud peccatum, quod post Baptismum commissum est, nō potest per Baptismum deleri, vt supra dictum est, & cōstat ex Concil. Trid. sess. 7. can. 10. & tota sess. 14. ergo non potest sola attritio sufficere ad illud peccatum tollendum: quia attritio per se non sufficit ad tollendum peccatum, nisi cum aliquo sacramento: hic autem non concurrat cum attritione Baptismus ad tollendum hoc peccatum, vt ostēsum est: neque etiam concurrat aliud sacramentum, vt supponitur: non ergo facit est attritio, vt tollatur illud peccatum: ergo neque etiam erit satis, vt tollatur fictio, & redeat effectus Baptismi. Probat vt vltima haec consequentia, quia non potest tolli vnum peccatum mortale sine alio: & consequenter nec dari potest effectus gratiae baptismalis absque remissione peccatorum omnium mortalium, siue ante siue post Baptismum commissum sint. Et confirmatur haec ratio, nam si quis post Baptismum digne susceptum mortaliter peccet, licet postea atteratur, non ei satis erit, vt remissionem illius peccati consequatur, ratione Baptismi prius suscepti: quia Baptismus non habet efficaciam circa tale peccatum: ergo multo maiori ratione nō sufficere sola attritio ad remittendum simile peccatum, ratione Baptismi prius indigne suscepti: ergo neque etiam sufficere ad gratiam baptismalem, & remissionem aliorum peccatorum obtinendam.

Sed obiiciet aliquis contra positam cōclusionem, & rationem eius, nam, licet Baptismus per se non sit institutus ad tollenda peccata post Baptismum commissum, tamen interdum necesse est, vt per accidens, & propter necessariam concomitantiam ea tollat, vt postea dicemus: quia non potest vnum peccatum remitti sine alio & ideo, si peccata antecedentia Baptismum coniuncta sunt cum peccatis postea subsequutis, vt illa tollantur, necesse est, haec etiam concomitantiter tolli: ergo hoc modo potest Baptismus tollere peccatum post se susceptum, commissum: sicut sacramentum penitentiae non est per se institutum ad delenda peccata non confessa, vel propter obliuionem, vel propter aliam rationabilem causam: & tamen per concomitantiam illa delerit: quia nō possunt tolli peccata confessa, quin alia etiam tollantur: ergo illa dispositio, quae sufficit, vt Baptismus deleat peccata prius commissum, quae per se, & ex propria institutione remittit, nimirum attritio, sufficere etiam vt concomitantiter deleat peccata, quae cum illis inueniuntur coniuncta. Patet consequentia: tum à simili adducto exemplo: nam, vt sacramentum penitentiae remittat peccata oblita, sufficit attritio omnium

peccatorum, quamuis non per se, & directe, sed concomitantiter illa remittat: tum ratione: quia ideo sacramentum tollit cōcomitantiter peccatum, quia dat gratiam, quae simul necessario excludit omnia peccata mortalia: ergo sacramentum, quod per se & vi sua habet virtutem ad dandam gratiam homini attrito, stante attritione, semper dabit illam, neque efficaciam eius impedire poterit quodcumque peccatum, sed potius ipsum concomitantiter tollitur, cum voluntas ratione attritionis iam non sit ad illud formaliter, aut virtualiter affecta.

Et confirmatur à fortiori, nam sacramentum Eucharistiae (& idem est de alijs sacramentis viuorum) quamuis non sit per se institutum ad delendum peccatum cum sola attritione: nihilominus intercedente bona fide, delerit peccatum homini attrito propter virtutem, quam habet ad dandam gratiam, ad quam consequitur necessario remissio peccati, saltem indirecte & per accidens, & non sine habitu dine ad sacramentum penitentiae, & cum voto illius: ergo similiter Baptismus: quamuis non sit institutus per se ad tollendum peccatum commissum post susceptionem eius, concomitantiter delebit illud ex virtute, quam habet ad dandam gratiam homini attrito: indirecte tamen & per accidens, & cum voto sacramenti penitentiae, respectu illius peccati, quod necessario postea confitendum est: non ergo est necessaria contritio ad hunc effectum: imo neque alia bona fides, aut estimatio contritionis videtur necessaria: quia haec solum exigitur in Eucharistia & alijs sacramentis, ad excusandum peccatum indignae susceptionis sacramenti: hic autem nullum sacramentum denuo suscipiendum est: neque respectu Baptismi id esset necessarium: quia per se solam attritionem postulat. Confirmatur secundo: quia si in eo casu necessaria esset contritio ad tollendum obicem: ergo oportet etiam de peccatis ante baptismum commissis habere contritionem: ergo impediretur quodammodo effectus baptismi: quia non posset viuificare hominem, non prius per contritionem viuificatum, nec posset delere peccata non prius per contritionem deleta, quod supra diximus esse contra institutionem baptismi. Haec argumenta videntur facere probabilem sententiam, quam eiusmodi existimauit Paludanus dicta q. 5. numero 2. 4. scilicet, in eo casu sufficere attritionem ad tollendam fictionem, dummodo includatur votum sacramenti penitentiae, respectu talis peccati.

Nihilominus tamen assertio posita verior, eiusque ratio solidior videtur. Ad principalem ergo objectionem responderetur, verum quidem esse, non posse per baptismum tolli peccata mortalia antecedentia baptismum, quin tollantur etiam sequentia: dico tamen solum baptismum prius susceptum ad hoc non sufficere, nisi iuuetur aliquo alio medio, quod per se & in genere suo sufficit ad delendum peccatum post baptismum commissum: huiusmodi autem medium non est sola attritio absque reali susceptione sacramenti penitentiae: erit ergo necessaria contritio. Ratio autem, ob quam baptismus non sufficit absque alio medio per se sufficiente, est: quia nullum sacramentum habet virtutem ad remittendum peccatum post susceptionem ipsius sacramenti commissum, neque directe, neque indirecte, neque villo modo: non enim ad hoc sunt vlla ratione instituta: neque ad huiusmodi effectum à Deo acceptantur: sunt enim sacramenta medicinae curatiuae praecedentium peccatorum, & praeseruatium sequentium, non tamen sunt conueniens, vt haberent etiam vim ad delenda peccata postea committenda: nā huiusmodi medicinae non adhibentur, donec aegritudo insit: neque in aliquo alio sacramenta huiusmodi effectus reperiri vnquam potest. Quamobrem non est simile, quod de sacramento penitentiae adducitur, respectu peccatorum oblitorum, quae indirecte remittit cum sola attritione. Vt

enim omittam, non esse hoc certum, sed satis dubi-  
tamen, eo concessio, non est simile: quia peccatū obli-  
tum supponitur iam commissum ante susceptum ta-  
le sacramentum poenitentiae: & ideo habere potest ef-  
ficaciam ad tollendum illud, saltem concomitanter:  
peccatum autem, de quo hic agimus, non erat com-  
missum, quādo baptismus susceptus est. Atque eadē  
responso est ad exemplum adductum in confirma-  
tione prima: nam Eucharistia non facit ex attrito cō-  
tritum, nisi respectu peccatorum, quae ante suscepti-  
onem talis sacramenti commissa fuerunt.

Scotus.

Ad secundam confirmationem Scotus supra signi-  
ficat, sufficere contritionem illius peccati, quod fuit  
occasio fictionis, & subsequens peccatorum: dico  
tamen, veram contritionem necessario extendi, sal-  
tem virtualiter, & implicite ad omnia peccata, vt se-  
quenti tomo latius tractandum est: & hoc sensu con-  
cedo sequelam: nimirum necessariam esse contritio-  
nem vniuersalem omnium peccatorum, etiam illo-  
rum, quae baptismus antecesserunt, siue aliquorum  
attritio praecesserit, siue non: hoc enim nihil refert,  
vt bene Soto notauit: neque hoc est inconueniens:  
aut repugnans institutioni baptismi: quia est per ac-  
cidens, ob necessariam connexionem omnium pec-  
catorum mortalium in ordine ad suam remissionem,  
& gratiae infusionem. Nec vero in eo casu baptismus  
supponit hominem viuum, priusquam ipsum viuifi-  
cet: nec peccatum deletum, priusquam ipsum deleat:  
sed omnino simul baptismus iam applicatus adue-  
niente contritione cum illa, dat primam gratiam, &  
remitte peccata, vt paulo inferius amplius explana-  
bimus.

Soto.

*Ad tollendā  
fictionē pec-  
cati, commissi  
in ipsa susce-  
ptione Bap-  
tismi requiri-  
tur contritio.*

Dico tertio, Quando in susceptione baptismi cō-  
mittitur peccatum mortale in ipsa actuali, & indigna  
susceptione, tunc necessaria est contritio ad tollendā  
fictionem, & consequendum effectum baptismi, etiā  
si post acceptum baptismum nullum aliud peccatū  
mortale commissum sit. Hæc conclusio est minus cer-  
ta, quam præcedens: quia de illo peccato sacrilegij,  
quod in ipsa susceptione baptismi committitur, non  
immerito dubitari potest, an subsequatur baptismū.  
Videtur enim potius antecedere, quia peccatum po-  
tissimum in voluntate consistit: voluntas autem sic  
suscipiendi baptismum antecedit susceptionem eius:  
ergo illud peccatum antecedit baptismum: ergo suf-  
ficiet attritio eius, iuxta principia hæcenus posita.  
Vel certe, si dicatur peccatum illud durare vsque ad  
ipsam susceptionem sacramenti, responderi impri-  
mis poterit, id esse verum de peccato exteriori: quod  
præcise consideratum non satis est: quia culpa for-  
maliter est in voluntate & animo. De interiori autem  
voluntate actuali non est necesse, quod actu perseue-  
ret vsque ad instans, in quo sacramentum perficitur:  
imo, moraliter loquendo, frequentius fortasse  
non ita accidit, præsertim si verum est, requiri actua-  
lem aduertentiam malitiæ ad actualiter peccandum  
in interiori voluntate. Denique, vt verum sit etiam  
internum peccatum actuale durare interdum vsque  
ad consummatam susceptionem sacramenti: inde  
tamen, ad summum, concluditur, illud peccatum  
esse concomitans baptismum, non tamen esse con-  
sequens ipsum: quia, finito baptismum, finitur susce-  
ptio eius: ergo finitur etiam peccatum sacrilegij,  
quod solum in ipsa susceptione committebatur: ergo  
ex vitalis peccati nulla ibi est culpa post Bap-  
tismum commissā: ergo neque est vlla ratio, propter  
quam ibi requiratur contritio: quia peccatum illud  
magis videtur numerandum inter ea, quae per se pos-  
sunt per baptismum tolli, quam inter alia: tum quia  
est idem numero peccatum, quod ante baptismum  
inchoatum est, & vix ei additur aliqua malitia ob  
eam durationem: tum etiam, quia baptismus habet  
efficaciam aduersus omnia peccata, quae in homine  
inuenit: inter quae computandum est illud pec-  
catum, quod baptismum ipsum comitatur. Nihilomi-

nus assertio posita est consentanea doctrinæ D. Tho-  
mæ hic art. 10. ad 2. vbi negat peccatum fictionis tolli  
per baptismum, sed per poenitentiam: quod etiam  
indicat August. lib. 1. de Baptismo, cap. 12. vbi signifi-  
cat: fictionem debere tolli per confessionem, scilicet  
in re, vel in voto, quod in contritione includi-  
tur. Et idem significant alij authores citati, neque  
vllus negat, neque negare potest, illud peccatum sa-  
crilegij esse materiam sacramenti poenitentiae, & ne-  
cessario confitendum. Ex quo principio aperte se-  
quitur, quādiu peccatum illud in confessione non  
aperitur, vt per sacramentum poenitentiae re ipsa ap-  
plicatum deletur, necessariam esse contritionem,  
vt possit deleri, & consequenter, vt possit fictio tolli,  
& effectus baptismi redire. Consecutio probatur  
ex dictis: quia peccatum, quod per baptismum non  
deletur, nec per aliud sacramentum re ipsa applica-  
tum, necessario requirit contritionem, vt deleri  
possit. Atque hinc simul redditur ratio à priori con-  
clusionis, & satisfactio rationi dubitandi propositæ:  
nam illud peccatum computatur inter ea, quae Ba-  
ptismum subsequuntur. Quod ita declaratur: quia  
Baptismus in ordine ad suscipientem, & ad dispo-  
sitionem eius, prius natura infundit characterem,  
quam gratiam: tum quia ad imprimendum charac-  
terem nullam requirit dispositionem, quam requirit  
ad gratiam: tum etiam, quia (vt supra dicebam)  
sicut character baptismalis est potentia passiva ad alia  
sacramenta, & eorum effectus: ita & ad effectum  
gratiæ baptismalis: igitur quando homo ponit obie-  
ctum gratiæ baptismali per actionem sacrilegam, iam  
intelligitur insignitus characterem baptismali: ergo  
tale peccatum, prout in re fit, est ab homine iam ba-  
ptizato: quia est ab homine affecto characterem: &  
quia sicut prius natura est, Baptismus esse, quam  
causare gratiam: ita prius natura est, Baptismus  
esse, quam actualiter illi ponere impedimentum,  
ne causet gratiam: ergo hoc peccatum vt sic, est ab  
homine iam subiecto clauibus Ecclesiae: per charac-  
terem enim subicitur: est ergo materia poeniten-  
tiae: & ideo per contritionem necessario delendum  
est, quando sacramentum poenitentiae non applica-  
tur.

Tandem, etiam si peccatum illud consideretur, vt  
concomitans baptismum, per se & ex intrinseca ra-  
tione sua habet, vt non possit per baptismum deleri,  
nec directe, nec concomitanter: quia, vt D. Thomas  
in prædicto secundo argumento tergit, per se,  
& directe includit oppositionem repugnantem ef-  
fectui baptismi: quia directe, ac per se tollit neces-  
sariam dispositionem ad illum, in quo eius malitia  
consistit: non potuit autem Baptismus directe inhi-  
tuit ad tollendum hoc peccatum, cum potius ex sua  
institutione prærequirat ad suum effectum contra-  
riam dispositionem, sine qua neque illud peccatum,  
neque aliud delere potest: & eadem ratione non po-  
test illud tollere concomitanter, quia per illud im-  
peditur, ne suum conferat effectum: si ergo hoc pec-  
catum nullo modo potest per baptismum tolli, su-  
perest, vt sit necessaria contritio ad illud tollendum:  
hæc enim illatio satis est in superioribus demonstra-  
ta.

Vnde ad rationem dubitandi positam facile patet  
responso: dico enim, hoc peccatum posse quidem  
in voluntate temporis duratione antecedere bap-  
tismum, tamē vt sic, non existimo indigere alio reme-  
dio, sed per baptismum posse tolli, vt cōcludit ratio  
facta. Vnde, si mihi cōstaret, aliquem eo tempore &  
instanti, quo baptizatus est, non actualiter peccasse,  
& priorem malam voluntatem cōtinuasse, censere,  
illi sufficere attritionem, per se loquēdo, illud pec-  
catum per baptismum esse remittendum, & non ef-  
se materiam confessionis: tamen huiusmodi casus  
non est admittendus in eo, qui sciens & volens, &  
humano modo operans sic baptizatur: & ideo sem-  
per in-

per indiget contritione, vel sacramento penitentiae ad huiusmodi obicem tollendum.

Sed quaerens, an hoc sit speciale in peccato sacrilegij commissi indigna susceptione Baptismi, vel sit idem dicendum de quouis peccato actualiter concomitante Baptismo in ipso tempore, & instanti, quo Baptismus pericitur. Videtur enim idem esse dicendum: in quam sententiam potest referri Scotus dist. 4. quaest. 5. quem fere sequitur Gabriel. quaest. 1. artic. 3. dub. 3. tamen Scotus non solum de peccato concomitante Baptismo, sed etiam de antecedenti idem censet, si tale peccatum fuit causa fictionis, quod nobis supra non placuit: loquendo vero specialiter de peccato concomitante, videtur in eo esse peculiaris ratio: quia iam est peccatum hominis baptizati, & subiecti Ecclesiae per characterem: ergo est peccatum subijciendum clauibus, non tantum sub ratione fictionis, sed vt est in tali specie, v.g. morosa delectationis, vel odij, vel alterius similis: ergo non potest tolli per solum Baptismo. Et confirmatur, quia tale peccatum, ratione suae specificae malitiae reddit indignam susceptionem Baptismi, & ponit obicem effectui eius: vnde in illo peccato potest distingui duplex malitia: altera in propria specie, verbi gratia, odij, vel turpis consensus: altera sacrilegij: quatenus est causa indignae susceptionis: & haec posterior fundatur in priori, & est veluti circumstantia illius: ergo, si sub vna ratione iudicatur illud peccatum ordine naturae posterioris characterem, & subiectum clauibus, & indiget contritione, idem est de illo dicendum sub vtraque ratione.

Quid D. Th. Nihilominus D. Thomas articulo 10. ad 2. de fictione, ait, non remitti per Baptismo, sed per penitentiam: de cetero vero peccatis, siue praecedant, siue simul cum Baptismo existant, per ipsum Baptismo remitti: & ita eum exponunt, & sequuntur Caietanus, Soto, & alij Thomistae, qui consequenter aiunt, non esse necessarium, peccatum illud fictionis materialiter (vt sic dicam) seu in propria specie confiteri, sed solum formaliter, seu ratione fictionis: ita vt sit satis dicere, se indigne ac fide recepisse Baptismo, no explicando, an illo eodem momento, quo baptizabatur, concupisceret foeminam, aut odio haberet proximum, vel aliud simile peccatum commisisset. Et huius sententiae fauet Augustinus libro primo de Baptismo, capite duodecimo in fine, cum verba D. Thomas refert. Atque haec sententia, speculatiue loquendo, est satis verisimilis, & probabilis: & ratio differentiae inter fictionem, vt fictio est, & quodlibet aliud peccatum actuale durans in eodem instanti, est de se sufficiens ad fundandam rationem: quae ex dictis reddi potest: quia sola fictio formalis est, quae directe opponitur Baptismo, & per se ex vi rationis suae dicit actualem repugnantiam cum effectu illius, & ideo per se etiam est, vt Baptismus non habeat vim ad remittendum tale peccatum: reliqua vero peccata ex se non habent directe repugnare effectui Baptismi, & obicem illi ponere: sed hoc per accidens contingit ex sola concomitantia temporis. Vnde Baptismus non habet ex vi sua, vt non tollat huiusmodi peccata, sed solum per accidens ex actuali indispositione voluntatis. Vnde etiam fit, vt alia peccata mere concomitantia se habeant ad Baptismo, & ad effectum eius, vel carentiam illius, ne sint posteriora illo, ordine naturae: quia nullam rationem causae, aut effectus habet respectu illius: ac vero fictio formaliter sub ratione sacrilegij & obicis Baptismi, quoad effectum eius ex natura sua supponit Baptismo. Nec refert, quod malitia fictionis, seu sacrilegij fundatur aliquo modo in alio actuali peccato, vt tale est in sua specie: quia recte potest intelligi, fundamentum esse prius: id vero, quod in eo fundatur, esse posteriorius: sicut etiam potest actualis & formalis fictio fundari in solo peccato praeterito, & non retractato, seu in macula peccati, & carentia attritionis, quae tunc

no est nouum peccatum actuale, distinctum ab ipso sacrilegio, seu formali fictione. Vnde intelligitur, malitiam sacrilegij seu fictionis non esse proprie circumstantiam alterius peccati, quod simul concurret cum Baptismo, v.g. in delictatis, aut odij, &c. Sed vel neutrum esse circumstantiam alterius, sed vtrumque esse simul tempore, vel potius ipsum peccatum in delictatis, vel odij, aut aliud simile esse circumstantiam ex parte personae operantis, ex qua manat aliud peccatum sacrilegij: quod in hoc consistit, quod persona carens debita dispositione, voluntarie recipit sacramentum: inde enim fit, vt indigne accipiat, tanto magis, quanto non solum habet carentiam dispositionis, sed etiam prauam dispositionem contrariam: quae quidem praua dispositio secundum se, seu prout tale peccatum, nullam habet habitudinem ad Baptismo, neque vllum ordinem cum illo: peccatum vero sacrilegij inde subiectum, directe opponitur Baptismo, & effectui eius. Est ergo verisimilis haec opinio. Dixi autem speculatiue esse probabilem, quia moraliter vix potest ad praxim reduci: nam vix est moraliter credibile, vt aliquis duret in aliquo actuali consensu prauo, toto tempore, quo pericitur baptismus, vsque ad instans, in quo consummatur baptismus intrinsece, quin etiam post baptismum perfectum in eodem actu aliquo tempore duret: sed in casu, de quo agimus, peccatum illud durat intrinsece vsque ad instans perfectum baptismi: sic enim intelligenda sunt omnia dicta, vt per se constat: ergo, moraliter loquendo, tale peccatum durabit aliquo tempore post baptismum: tunc autem inter peccata post baptismum commissa computandum est: quia iam non est tantum praecedens, vel concomitans, sed etiam subsequens: & ideo subiectum iam est clauibus Ecclesiae, & extra sphaeram (vt sic dicam) seu efficaciam baptismi: ergo saltem ratione huiusmodi peccatum confiteri, atque de illo conteri.

Dico quarto, Si is, qui fide baptismum accepit, postea actualiter confiteatur, & sacramentum penitentiae accipiat, sufficit illi attritio ad tollendum obicem, etiam si & in ipsa fictione peccauerit, & post fictionem multa peccata commiserit. Conclusio est certa & communis omnium, qui tenent penitentiae sacramentum facere hominem de attrito contritum: nam hoc supposito, attritio illa omnium peccatorum coniuncta cum praecedenti sacramento baptismi, & cum praesenti sacramento penitentiae respectu omnium habet vim contritionis. Item quia vtrumque sacramentum habet tunc dispositionem sibi proportionatam ad effectum, qui sibi potest attribui, seu respondere: ergo vtrumque delebit per se, & directe peccata, quae sibi subiunguntur: ergo nihil iam tunc est, quod possit baptismi effectum impedire: non enim impediunt peccata praecedentia baptismum, quia ipse potest illa delere supposita attritione, si no sit aliud impedimentum: neque etiam impediunt posteriora peccata, quia adest sacramentum penitentiae, quod potest illa delere supposita etiam attritione. Atque ex hac ratione infero, idem esse quandocumque cum huiusmodi attritione coniungitur quodlibet aliud sacramentum bona fide susceptum, nam (vt suppono) quodlibet potest facere ex attrito contritum, intercedente bona fide.

Sed supersunt circa hanc conclusionem duo dubia explicanda. Primum est, quae gratia detur huiusmodi homini attrito ratione vtriusque sacramenti baptismi, scilicet praeteriti, & praesentis penitentiae: ponamus enim illa attritione esse vt quatuor: inquit inus ergo, an per vtrumque sacramentum detur tanta gratia simul, & in eodem instanti, quanta diuersis temporibus daretur, si vtrumque sacramentum suo tempore effectum suum contulisset, aut, (quod idem est) si baptismus cum simili attritione, vt quatuor receptus fuisset: nam iuxta doctrinam traditam videtur ita esse ratio adhibenda.

affir-

affirmandum: nam imprimis non est, cur sacramentum poenitentiae non conferat integrale suum effectum gratiae, quem conferre potest in subiecto sic disposito: nam actu existit, & actu inuenit talem dispositionem in subiecto, quando actu ita operatur. Aliunde vero probabiliter dictum est supra, Baptismum ita operari, recedente fictione, ac si esset receptus cum illa dispositione, per quam tollitur fictio: ergo dabitur simul tota illa gratia, quæ vtriusque sacramento respondet. In contrarium vero est, quia huiusmodi homo non est tam bene dispositus ad effectum vtriusque sacramenti per illum vnicum actum attritionis, quantum fuisset in duos actus similes & æquales, si cum vno prius Baptismum recepisset, & cum alio postea poenitentiam: ergo non recipit æqualem effectum per vtrumque sacramentum. Probatur consequentia, quia quodlibet sacramentum maiorem effectum confert homini melius disposito, fortius operabuntur cum meliori dispositione. Primum autem antecedens probatur, quia non sola intentio, sed etiam multitudo actuum cōducit ad meliorem dispositionem moralem: nam si confert ad meritum, cur non ad rationem dispositionis? Item, quia ille, qui plures actus efficit, aliquid amplius ex parte sua præstat: vnde plus etiam satisfacit per duas attritiones, quam per vnā. Et confirmatur, nam alias ille, qui sic accipit sacramentum plus peccando, & minus laborando, seu minus studiose operando, maiorem gratiam consequetur, quod non videtur esse rationi consentaneum.

Responsio.

Res certe videtur dubia: mihi tamē in primis certum est, plus gratiæ dari per illa duo sacramenta simul concurrentia, quam detur per singula cum eadem attritione: quia vnumquodque habet suum proprium effectum: neque vnus causalitas impedit, aut minuit causalitatem alterius: cur enim sese impediunt, cum effectus eorum inter se non sint repugnantes, & in subiecto sit sufficiens capacitas ad vtrumque simul recipiendum? Deinde non dubito, quin sacramentum poenitentiae det totum gratiæ effectum, quæ potest dare homini sic disposito per attritionem vt quatuor: quia supponimus, hoc sacramentum recipi cum tali dispositione: nihil ergo illi deest, quo minus tota virtute operetur in subiectum sic dispositum: quoniam, & realiter existens operatur, & determinatur in actione sua ab actuali dispositione subiecti. Neque enim potest ad hunc effectum minuendum referre, quod quis prius sic et receperit baptismum, & nondum fuerit effectum illius consecutus: aut quod postmodum plurima peccata multiplicauerit. Ita enim in superioribus ostendimus, eandem attritionem eiusdem perfectionis absolutæ ad æqualem effectum præparare hominem, siue plura, siue pauciora peccata in eo præcesserint: cum ergo fictio sit vnum ex his peccatis, quod illud præcesserit, & cū illo alia multa, non minuit valorem huius dispositionis, & consequenter neque effectum: & eadem ratione nihil obstat, quod effectus Baptismi non fuerit antea datus: tum quia satis est, quod possit simul dari: tum etiam, quia licet esset prius receptus, & per peccatum amissus, nihilominus poenitentia posset habere suum effectum integrum: ergo eundem habere poterit, etiam si Baptismi effectus nunquam fuerit antea receptus. Denique nulla ratio est, ob quam præfens effectus poenitentiae pendeat ex præcedente effectus Baptismi, habet ergo tunc sacramentum poenitentiae totum gratiæ effectum, quem habere potest in homine sic attrito.

Tertio de sacramento Baptismi, si teneamus, tantundem operari, recedente fictione, quantum cum simili dispositione operaretur actu existens: consequenter dicendum erit, etiam ipsum dare totum effectum gratiæ, quem dare potest homini sic attrito, quia reuera concurrunt ibi omnia necessaria ad illum effectum. Neque enim mihi probatur, quod vi-

deo ab aliquo excogitari posse: nimirum illam attritionem, licet in se vna sit & æqualis simili attritioni vt quatuor: tamē hoc ipso, quod disponit simul ad duo sacramenta, reputari moraliter minorem dispositionem ad singula, quam si ad vnā tantum disponeret: nam si hoc esset verum, etiam effectus sacramenti poenitentiae esset minuendus, quod non videtur certe probabile. Item si fingamus, aliquem simul & eodem tempore recipere duo sacramenta, v. g. Eucharistiam, & Extremam vnctionem, quamuis vnico deuotionis actu ad vtrumque se præpararet, plecum vtriusque effectum reciperet, non minus, quam si sigillatim diuersis temporibus illa sacramenta acciperet cum æquali deuotione. Quare ad rationem in contrarium dicendum erit, multitudinem actuum esse quodammodo accidentalem, quando in reliquis esse perfectio æqualis, & illa pluralitas actuum solum requiritur propter temporis diuersitatem. Si autem teneamus, Baptismum recedente fictione, solum conferre minimam gratiam, quam potest dare homini, neque ponenti obicem, neque se positum præparanti ad sacramentum suscipiendum, hoc modo expeditior, & verisimilior erit responsio, scilicet huiusmodi gradus gratiæ dari tunc, ratione Baptismi homini ne attrito, & consequenter per vtrumque sacramentum simul minorem gratiam dari cum attritione vt quatuor, quam si vtrumque sacramentum recepisset cum simili attritione: quia tunc Baptismus maiorem gratiam dedisset, quia determinaretur ad dispositionem, & attritionem præfenti ad tantum effectum: in casu vero, de quo agimus, attritio illa non concurrat, vt dispositio ad Baptismum, determinans effectum eius, sicut cōcurrit cum sacramento poenitentiae, sed solum, vt remouens prohibens. Atque hic posterior modus dicendi mihi maxime probatur.

Secundum dubium est: Quomodo hic effectus gratiæ diuidendus sit inter hæc duo sacramenta: neutrum enim videtur posse totum hunc gratiæ effectum præbere: nam, vt dixi, maior est, quam possit fieri per singula illa sacramenta. Aliunde vero dici etiam non potest, quosdam gradus illius gratiæ fieri ab vno sacramento, & alios ab altero: quia neque designari, aut diuidi poterunt hi gradus, neque est vlla ratio, cur hi potius, quam illi fiant ab alterutro sacramento. Dices, priores gradus fieri ad sacramento Baptismi, quia Baptismus est primus omnium sacramentorum: & ita gratia baptismalis esse debet prima omnium. Sed cōtra hoc est imprimis, quod, licet Baptismus sit primus, ratione characteris, non est tamen necesse, vt quoad effectum gratiæ sanctificantis intelligatur ordine naturæ præcedere: alias, quoties homo lapsus per poenitentiam reparatur, & primam gratiam recipit, deberet præintelligi ordine naturæ, vt recuperasset gratiam baptismalem, in qua reliqui gradus gratiæ fundentur, quod valde friuolum est. Deinde, & maxime, quia quilibet gradus gratiæ sufficit ad expellendam omnia peccata mortalia: non potest autem Baptismus in casu, de quo agimus, expellere omnia peccata, nimirum peccatum fictionis, & alia subinde commissa: ergo nec potest solus efficere vel minimum gradum gratiæ. Vnde etiam videtur dici non posse, totam illam gratiam fieri ab illis sacramentis, vt à causa partiali: tum quia sacramentum ex institutione sua non habet, quod sit causa partialis tantæ gratiæ, sed quod sit in suo genere integra causa instrumentalis minoris gratiæ sibi proportionata: tum maxime, quia quodlibet illorum sacramentorum per se, ac propria & integra virtute remittit peccatum mortale sibi correspondens: ergo simili modo infundit aliquem gradum gratiæ, per quem tale peccatum tollatur, quia peccatum non tollitur, nisi per gratiam. Antecedens patet ex institutione horum sacramentorum, & ex communi modo loquendi Theologorum dicentium, peccatum originale remitti per Baptismum: peccatum autem fictionis per poenitentiam, &c.

Responsio.

Respondet, non posse conuenienter dici, quosdā gradus gratiæ fieri tunc ab vno sacramento: quosdā vero ab alio: neque etiam totam illam gratiam fieri ab vno sacramento, vt ab instrumento totali, altero nihil efficiente, vt satis conueniunt rationes factæ. Quare dicendum est, quod vltimo loco est positum, scilicet illa duo sacramenta concurrere per modum vnius agentis integri ad illam gratiam producendam: ita vt mutuo se iuuent & totus effectus sit à singulis, à neutro tamen independēter ab alio: sed cum necessaria dependētia ab vtroque, simul siue illa dependētia tota sit physica, siue moralis, siue ex vtraque mixta: parum enim refert: Neque hoc erit contra, vel præter institutionem talium sacramentorum: nam singula sacramenta habent ex institutione sua virtutem ad præstandum suum effectum gratiæ, vel per se solum, si nullum adit impedimentum, vel simul cū alio sacramēto, si occasio vel necessitas subiecti id requirat: & tunc consequenter habent alia sacramenta ex institutione sua, vt se posse iuuare, & cooperari ad suos effectus, iuxta subiecti capacitatem, vel necessitatem. Atque hinc etiam fit, vt, licet vnum quodque illorum sacramentorum directè ac per se remittat quedam peccata: in quorum remedium est institutum: tamen de facto in eo casu neutrum eorum remittat aliqua peccata directè, quin concomitantè remittat alia omnia eodem genere causalitatis, seu partialis instrumenti propter rationem factam, quod omnia hæc peccata sunt connexa: quoad remissionem: & hæc videtur esse communis sententia Theologorum, vt videre licet in Soto, Paludano, Gabriele, Soto, & alijs supra citatis.

SECTIO VI.

Vtrum habere effectum recedente fictione sit proprium sacramenti Baptismi.

Hæc quæstio attingit materiam aliorum sacramentorum, & ideo breuissime hic expedienda est, quantum huius loci necessitas postulat, vt ea compleamus, quæ supra disput. 8. sect. 3. huc remissimus. Prima sententia est, hoc esse proprium sacramenti Baptismi. Hanc tenet Soto dist. 6. quæst. 1. art. 8. Fundari potest primo, quia ratio & necessitas Baptismi est in hac parte singularis: quia, & est sacramentum, quod iterari non potest & cuius effectus est simpliciter necessarius ad salutem: quæ duo non reperientur simul conuenire alicui aliorum sacramentorum. Ex his autem duabus proprietatibus simul sumptis oritur necessitas, ob quam redit effectus Baptismi recedente fictione: ergo non est, cur hoc alteri sacramento tribuatur, quia, si iterari potest, subsequens sacramentum sufficit ad effectum: & ita non oportebit, vt sacramentum prius fictè susceptum operetur: si autem iterari non potest, tamen non est sacramentum necessarium ad salutem, neque eius effectus erit necessarius: ergo neq; oportebit dari, recedente fictione. Secundo argumentatur Soto, quia Baptismus singulari modo est opus Dei, quod nec clauis Ecclesiæ requirit, neq; dispositionem in suscipiente, per se loquendo: nam institutum est ad remedium originalis peccati, & ad plenissimam indulgentiam, & regenerationem filiorum Dei: & ob hæc omnia, illi est concessa hæc singularis prærogatiua. Tertio, quia Augustinus soli Baptismo tribuit hoc priuilegium: non est ergo extendendum: cum neque in scriptura sacra, neque in sanctis Patribus habeamus fundamentum. Vnde nec D. Tho. in tota hac tertia parte alteri sacramento tribuit hæc gratiam. Nihilominus contraria opinio probabilior est, quæ breui inductione sic declaratur. Primo enim verisimilius est omnia sacramenta imprimētia characterem conferre hūc effectum ita sentit D. Tho. in 4. d. 4. q. 3. art.

2. quæstione. 3. ad 3. & ibi Palud. q. 5. art. & alij, quos refert, & sequitur Couarruias in c. Alma mater, l. p. §. 4. num. 13. Et potest probari ratione D. Thom. hic fundata in characterē, nam licet ipse loquatur de characterē baptismali: tamen ratio potest proportionaliter applicari: nam etiam, qui ordinatur, recipit characterem, quasi formam, qua constituitur sacerdos, ad quam consequitur gratia necessaria ad illud munus conuenienter peragendum: sed omnis forma, remoto impedimento, consequitur suum effectum, seu proprietatem sibi consentaneam, & connaturalem: neq; in hoc opus gratiæ est minus efficax, quam opus naturæ. Atq; eadem proportione potest formari ratio de characterē Confirmationis. Sed quia hæc ratio non est in rigore metaphysico intelligenda: nam vt Durandus obijcit, character non est forma, aut dispositio necessitans ad gratiam, remoto obice: ideo moraliter sic explicanda est. Nam hæc sacramenta constitunt hominem in quodam statu, à quo retrocedere non potest: quia character, quem imprimunt, inamissibilis est: ergo conueniens institutio eorum postulat, vt ea gratia, quæ ex diuina institutione annexa est huic characteri, semper detur, quoties ex parte hominis non fuerit impedimentum, & consequēter, q̄ reuiuiscat, etiam si in principio perfectionem impedita fuerit: probatur consequentia: quia hæc gratia, vt videtur per sacramēta, ordinatur ad bonū vsū ipsius characteris, seu illius muneris, ad q̄ homo per characterem destinatur: ergo non fuit expediens, vt homo propter peccatum commissum in susceptione talis sacramenti perpetuo priuaretur ea gratia: alioqui oportuisset, vel q̄ tale sacramentū esset iterabile, vt posset illa gratia obtineri, vel certe, vt esset aliquod aliud remedium ad illam obrinendam, ne homo perpetuo priuaretur auxilijs debitjs, ratione sacramenti ad huiusmodi opus, vel ministerium efficiendum. Vnde hæc ratio immediate procedit de gratia sacramentali, seu auxiliante: tamen consequēter etiam probat de gratia sanctificante, quæ per sacramētum datur: tum quia hæc etiam iuuat, vt opus, ad quod ordinatur sacramentū, sanctè & digne perficiatur: tum etiam, quia per sacramenta non datur gratia auxilians, seu sacramentalis, nisi vt coniuncta, & quasi radicata in aliqua gratia habituali.

Neq; contra hanc conclusionem procedunt fundamenta primæ sententiæ: nam prima ratio solum probat, in his sacramentis non esse tantam necessitatem, quanta est in Baptismo: non tamen non esse sufficientem rationem, & necessitatem, eo modo quo dicitur moraliter necessarium, quod est valde vtile, vel conueniens: nam licet gratia horum sacramentorum non sit ad salutem simpliciter necessaria: tamen ad finem horum sacramentorum est quodammodo necessaria moraliter prædicto necessitatis modo: secunda vero ratio nullius est momenti, quia nihil probatur, quæ assumit: tertia etiam est inefficax: quia solum fundatur in autoritate negatiua Augustini, at quamuis Augustinus hoc non dixerit, non tamen negauit: & ex doctrina eius de Baptismo potest hæc amplificatio probabiliter colligi.

Secundo hinc infero, idem dicendum esse de sacramentis Matrimonij, & Extremæ vnctionis, quantum aliquo modo iterari non possunt. Matrimonium enim non potest iterari viuente coniuge per se loquendo: & alioqui constituit hominem in eo statu, in quo valde indiget gratia sacramentali illius sacramenti: non ergo expedit, vt homo perpetuo careat hac gratia propter priorem fictionem: sed magis est consentaneum virtuti tanti sacramenti, vt sicut de se constituit hominem in statu perpetuo & immutabili, viuente vtroque coniuge: ita de se semper sufficiat ad dandam gratiam conuenientem illi statui, si homo non ponat obicem: ergo propter hanc causam redibit effectus huius sacramenti, recedente fictione: alioqui oporteret illud iterari, saltem pro-

Couarruias

Durandus

Matrimonij & Extremæ vnctionis, quantum aliquo modo iterari non possunt. Matrimonium enim non potest iterari viuente coniuge per se loquendo: & alioqui constituit hominem in eo statu, in quo valde indiget gratia sacramentali illius sacramenti: non ergo expedit, vt homo perpetuo careat hac gratia propter priorem fictionem: sed magis est consentaneum virtuti tanti sacramenti, vt sicut de se constituit hominem in statu perpetuo & immutabili, viuente vtroque coniuge: ita de se semper sufficiat ad dandam gratiam conuenientem illi statui, si homo non ponat obicem: ergo propter hanc causam redibit effectus huius sacramenti, recedente fictione: alioqui oporteret illud iterari, saltem pro-

Soto, Palud. Gabriel. Soto.

Sententia. Soto.

August. D. Thom. Sacramenta, quæ imprimuntur, habent suum effectum recedente fictione. D. Thom. Palud.

per hanc gratiam consequendam. Similis ratio formari potest de Extrema vnctione: est enim hoc sacramentum initerabile in eadem aegritudine: eodemque statu illius: & ordinatur precipue ad preparandum hominem ad exitum huius vitæ, vt & coram Deo purior egrediatur, & omnes difficultates vincat, quæ in illo articulo occurrere solent. Constituitur ergo hominem morti proximum, qui hoc sacramentum sicte recipit, & deinde magis ac magis morti appropinquat: cur ergo huc priuabimus omnino spe, ac remedio consequendi gratiam, & subsidia huius sacramenti tam necessaria in tam graui negotio, tamque arduo periculo? Certe, si homo per penitentiam remouendo fictionem nõ posset suscipere hoc sacramentum, sine causa esset ita institutum hoc sacramentum, vt non possit in huiusmodi euentu iterum digne suscipi, ad fruendum eius gratia, & auxiliis: in his ergo sacramentis, quatenus participant initerabilitatem Baptismi, & quandam moralem necessitatem suæ gratiæ ad fines suos obtinendos, verisimile est, habere suos effectus, recedente fictione.

*Obiectio.*

Dices: ergo si eo tempore, quo durat propria necessitas talis effectus, & pro quo iterari non possunt, non tollatur fictio, etiam si postea tollatur, non dabit effectum: vt, verbi causa, gratia sacramenti matrimonij necessaria est durante matrimonio, & pro eo etiam tempore iterari non potest illud sacramentum: finge ergo, aliquem recepisse illud sacramentum sicte, & non abtulisse fictionem toto tempore, quo durauit matrimonium: postea vero mortuo altero coniuge egisse penitentiam: videtur ergo se qui tunc in huiusmodi homine non redire effectum prioris sacramenti: quia iam in eo non est simpliciter initerabile tale sacramentum: & quia in eo iam cessauit illa necessitas: neque illi homini danda est amplius gratia auxilians sacramentalis matrimonij: quia iam desijt esse in tali statu constitutus. Idem fingi potest in extrema vnctione, si quis sacramentum illud sicte accipiat, nec veram penitentiam agat, durante illa aegritudine: postea vero sanitatem recuperet, eumque peniteat, &c. Respondetur, non esse inconueniens hoc totum concedere, quia coniectura videtur satis probabilis: ex quadam necessitate, & initerabilitate horum sacramentorum desumptam, non procedere in prædictis casibus: ac proinde saltem hoc titulo non oportere, vt tunc reuincatur effectus eorum: an vero alio titulo id affirmari possit, constabit ex dicendis in vltimo puncto. Posset etiam responderi, negando sequelam: quia aliud est, considerare rationem institutionis, aliud institutionem ipsam: ratio ergo ob quam institutum est, vt hæc sacramenta habeant suum effectum, recedente fictione, est illa, quæ tacta est: institutio autem, absolute facta est. Vnde non oportet, vt in quocumque casu particulari contingat, rationem illam, seu necessitatem cessare, eo ipso cesset effectus sacramenti. Sicut enim in materia de legibus dici solet, cessante in particulari sine vel ratione legis tantum negatiue, non cessare legis obligationem: quia lex est, vniuersalis regula, quæ non excipit, neque considerat huiusmodi particulares euentus, qui sunt per accidens: ita in presenti dicere possumus, institutionem hanc esse veluti legem quandam, quæ semper habet suam vim & efficaciam, quamuis in particulari cesset eius ratio, seu necessitas.

*Responsio.*

Tertio, de sacramento penitentia (si aliquando potest dari informe, ita vt verum sacramentum sicte recipiatur) verisimilius est, illud habere effectum, recedente fictione, quod docuit aperte Diuus Thom. loco supra citato ex 4. d. 17. & Durandus ibi quaestio. 13. distinct. 4. quaest. 4. & Paludanus distinct. 14. qu. 1. art. 3. & ratio est fere eadem, quæ de Baptismo, quoad hoc, quod sicut peccata mortalia ante Baptismum

*Redi effectus  
Penitentia  
recedente  
fictione.  
D. Thom.  
Durand.  
Palud.*

commissa non possunt, nisi per Baptismum remitti: ita peccata mortalia postea commissa non possunt remitti, nisi per aliquod sacramentum confessionis. Ex quo certo principio sic argumentor: peccatum mortale sicte confessum remitti postea potest per contritionem, & non in voto alterius confessionis eiusdem peccati: quia nõ tenetur homo illud iterum confiteri: vnde, stante contritione, potest habere propositum formale nunquam amplius confitendi illud peccatum: ergo remittitur tale peccatum per ordinem, & efficaciam prioris sacramenti: & hoc est incipere habere effectum, recedente fictione: nam si potest remittere peccatum mortale: potest etiam dare gratiam, quæ illud remittitur, & procedunt alia rationes de Baptismo factæ. Quapropter nõ obstat, quod hoc sacramentum iterari possit, etiam de eodem peccato prius confessio, in quo differet à Baptismo: nam ad efficaciam rationis factæ satis est, quod hæc iteratio non est necessaria ad remissionem talis peccati, cum tamen efficaciam sacramenti semper sit necessaria: nõ hinc euidenter concluditur, necessarium esse, vt prior absolutio possit habere efficaciam, ablato obice: quia, si illa iam esset omnino inefficax, necessarium esset aliam adhibere: & consequenter necessarium foret peccatum iterum confiteri: quia absolutio per se & directe non cadit, nisi in peccatum confessum. Vnde non est satis, si dicatur, concomitanter remitti per se quentem absolutionem: tum quia potest ante aliam absolutionem remitti per contritionem, & sine villo ordine ad sequentem absolutionem: tum etiam, quia nullum peccatum mortale remittitur concomitanter, & per accidens per aliquam absolutionem, nisi cum voto seu ordine ad aliam, per quam directe remittatur, vt supra dictum est. Dices, interdum fingi potest casus, in quo confessio fit facta, etiam si fit tantum de venialibus peccatis, vt si quis habeat mortale aliquod, quod inuincibiliter ignoret, & nullam attritionem illius habeat, sed tantum vnius, vel alterius venialis, quod confitetur: tunc ergo non erit necesse, effectum illius sacramenti redire: quia non est necesse, vt illa peccata venialia sic confessio per absolutionem præteritam, vel futuram remittantur: quia sacramentum penitentia non est medium necessarium ad remissionem venialium. Respondetur, hic optime accommodari doctrinam paulo antea datam de institutione sacramenti: esse scilicet veluti generalem legem, quæ non cessat in particulari casu, etiam si negatiue cesset necessitas, dummodo tollatur contrarius obex.

Quarto, De sacramento Eucharistiæ res est valde dubia: quam in propria materia tractabo. Sed circa alia sacramenta supererat hic declarandum, per quid possit tolli fictio, vt suos effectus habere incipiant: tamen hoc, & alia similia dubia ex doctrina data de Baptismo possunt facile expediri. Posset autem hic vterius dubitari, an in aliquo sacramento veteri habeat locum hæc doctrina, scilicet quæ suo modo habuerit effectum, recedente fictione: nõ D. Thom. in 4. d. 1. q. 2. art. 4. quaestio. 1. ad 3. hoc tribuit Circumcisioni, dicens, Sicut in Baptismo manet character spiritualis, ratione cuius fictus, deposita fictione, effectum Baptismi recipit: ita manebat character exterior in circumcissione, quæ hoc idem faciebat. Sed nõquam hoc D. Thom. docuit in hac par. Vnde valde incertum, & contrarium mihi videtur probabilius, suppositis his, quæ supra diximus de modo, quo in circumcissione, & in sacramento legis naturæ gratia dabatur: est enim multum probabile, adultis nullam tunc fuisse datam gratiam ex opere operato, in huiusmodi sacramentis: nec potuisse facere adultum ex attrito contritum: atque adeo non fuisse simpliciter necessariam media ad remissionem peccati, præferim in adultis, qui poterant & debebant per contritionem sanctificari: non ergo fuit necessarius hic effectus in his sacramentis, quia infantes non poterant

*Obiectio.*

*Responsio.*

Fant esse facti: adultis vero, & sufficiebat, & necessaria erat contritio, quod spectat ad medij necessitatem: si autem non est necessitas, non est attribuendus talis effectus illis sacramentis: quia in illis non datur gratia præter meritum operantis, nisi veluti ex speciali dispensatione ad subueniendum necessitati infantium.

DISPUTATIO XXIX.

De effectibus Baptismi sanguinis, & dispositione ad illum necessaria.

**R**offet disputatio hæc in materiam de fortitudine rei: quoniam hic Baptismus sanguinis nihil aliud est, quam martyrium, quod actus est fortitudinis: tamen, quoniam, ut supra vidimus, non quolibet martyrium habet rationem Baptismi sanguinis, sed illud specialiter, quod supplet vicem Baptismi aquæ: ideo consideratio martyrij sub hac ratione baptismatis ad hunc locum spectat. Pendet autem eius cognitio ex virtute & efficacia, quam martyrium habet ad dandam gratiam, & deficientem baptismate aquæ & flaminis, de quibus, & eorum effectibus iam satis dictum est. Hæc agitur de causa proponimus hoc loco disputationem præsentem, quæ plurimum etiam conferat ad perfectam intelligentiam eorum, quæ de necessitate Baptismi ad salutem consequendam superius tractata sunt: & ut clarior sit disputatio, dicemus prius de infantibus, postea de adultis.

SECTIO I.

Utrum per Baptismum sanguinis possint infantes saluari absque Baptismo aquæ.

**I**nfantes hoc loco dicuntur, non tam propter ætatem, quam propter carentiam perpetuam vus rationis, sicut in superioribus explicatum est. Atque hinc oritur ratio dubitandi in quaestione proposita: nam Baptismus sanguinis includit, vel supponit essentialem ac propriam rationem martyrij: sed absque vñ rationis non potest vera ratio martyrij saluari: ergo in his, qui nunquam ratione vñ sunt, non potest Baptismus sanguinis reperiri: non ergo poterunt per illum saluari, absque Baptismo aquæ. Minor principalis argumenti patet, quia martyrium est actus virtutis fortitudinis, absque rationis autem vñ nullus actus virtutis inueniri potest. Et augetur difficultas, quia alias Baptismus aquæ, neque in re, neque in voto esset infantibus necessarius ad salutem: quod videtur esse contra Christi verba: Nisi quis renatus fuerit, &c. à qua generali regula Scripturæ non licet exceptionem facere, absque sufficiente, & cogente autoritate. Sequela patet, quia in huiusmodi infantibus supponitur deesse Baptismus aquæ in re susceptus: votum autem in illis esse non potest: quia hoc votum concipitur per proprium actum, seu desiderium, cuius illi sunt incapaces. Nec dici potest, re ipsa per mortem habere huiusmodi votum Baptismi aquæ, quatenus & commotiuntur Christo, & suo sanguine tinguntur: hoc enim non satisfacit, tum quia est valde metaphoricum, & in re nulla habetudo ad Baptismum aquæ per hæc verba declaratur: sed solum analogæ quædam proportio, seu conuenientia: tum etiam quia, cum mox efficiat hominem incapacem Baptismi aquæ, non potest includere votum eius. Quod verò nullum sit sufficiens fundamentum ad prædictam exceptionem faciendam, constat: quia neque in Scriptura continetur neque in Ecclesiæ traditione. Prior pars probatur, quia, si contineretur in Scriptura, maxime in illis verbis Christi Domini: Qui me confessus fuerit coram Franc. Suarez Tom. 3.

hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo: at verba hæc non de infantibus dicuntur, sed de adultis: infantes enim nesciunt confiteri Christum. Posterior pars probatur, quia, si Ecclesiæ auctoritas fauere ad hanc exceptionem faciendam, maxime, quia Innocentes pueros colit, ut sanctos: sed hoc non cogit, tum quia possunt illi inter sanctos recenseri, quia erant circumcisi, & mortui sunt absque alio peccato, & Ecclesia voluit eos colere, quamuis fortasse non sint sanctiores aliis, in Christi reuerentiam & amore, ob cuius odium illi sunt ab Herode occisi: tum etiã, quia licet gratis demus aliquod privilegium fuisse illis paruulis concessum, non est, cur extendatur ad omnes alios infantes, præsertim post Baptismum aquæ, cuius necessitas nondum erat eo tempore introducta.

In hac quaestione non desuerunt Catholici, qui, fortasse propter rationes factas, senserunt, paruulos non posse saluari per Baptismum sanguinis: ita videtur docere Alex. Ales. 4. p. q. 22. memb. 5. artic. 1. vbi dicit, Baptismum aquæ extensue excedere in effectu Baptismum sanguinis, quia pluribus personis prodesse potest, scilicet paruulis & adultis: cum tamen Baptismus sanguinis solum proficit adultis. In hanc sententiam inclinat etiam Armachan. lib. 8. de quaestionibus Armenorum, c. 37. & Adrianus 4. q. vltim. de Bap. ad 3. Qui, licet non omnino rem definire audeant, tamen probabile esse censent, Innocentes martyres nihil gratiæ aut sanctitatis per mortem illam fuisse consecutos: & si fortasse aliqui ex eis non fuerat circumcisi: eos etiam non fuisse saluos, sed in peccato originali decessisse. Soto etiam citat Bonauenturam in eadem sententiam, quod Baptismus sanguinis non proficit paruulis. Sed ille nihil de hac aperte locutus est.

Dicendum est ergo primo, infantes esse capaces martyrij, seu Baptismo sanguinis. Hæc conclusio est mihi certa, neque existimo posse sine temeritate negari. Eam tradit D. Thom. 2. 2. q. 124. art. 1. ad 1. & quod lib. 6. art. 4. Richar. in 4. d. 4. art. 2. q. 3. vbi hoc extendit ad illos infantes, qui in vteris matris simul cum matribus interficiuntur. In eadem sententia sunt Scotus, Gabriel, & alij d. 4. Soto d. 3. artic. 11. & bene Caietanus 2. 2. loco citato: & D. Bonauent. illa d. 4. p. 2. art. 1. q. 2. limitat sententiam Alesis dicentis Baptismum aquæ pluribus prodesse, quam sanguinis. Unde nihil in hoc distinguit inter paruulos, & adultos, & probatur præcipue exemplo sanctorum Innocentium, quos martyres fuisse constat: primo ex traditione, & sensu Ecclesiæ celebrantis festum eorum, tanquam vere martyrum, propter quod officium martyrum eis recitandum proponit, eosque martyres appellat, tum in collecta, seu oratione: Deus, cuius hodierna die præconium, Innocentes martyres non loquendo, sed moriendo confessi sunt: tum in hymno: saluete flores martyrum, vos prima Christi victima.

Secundo ex Patribus. Cyp. sermone de Stella & Magis, circa finem. Tyrannus, inquit, crudelis illudis, qui dum putat perdere, quos occidit, melioris vitæ statum eis procurat: & infra: Ecce paruuli isti, quos inaudita crudelitatis monstrum Herodes occidit, subito sunt martyres, & infra: Etas nondum habilis ad pugnam, idonea exitit ad coronam: Ut appareret Innocentes esse, qui pro Christo necantur, infantia innocens ob nomen eius, occisa est. Optime Leo Papa serm. 1. de Epiph. Quos Rex impius eximit mudo, Christus inserit celo, & quibus nondum sanguinis sui impendit redemptionem, iam martyrij tribuit dignitatem. Et subdit serm. 2. Ac si iam diceret: Sinite paruulos venire ad me, talium est. n. regnum celorum: noua gloria coronabat infantes. Et infra: Ut disceretur, nullum hominem incapacem esse diuini sacramenti, quando est illa etas gloriæ esset apta martyrij. Sic etiam Aug. li. 3. de libero arbi. c. 23. de Innocentibus loquens, dicit: Eos in honorem martyrum receptos venera-

Alex. Ales.

Armachan. Adrian.

Bonauent.

Infantes capaces sunt martyrij. D. Thom. Richar.

Scotus. Gabriel. Soto. Caiet. Bonauent.

Cyprianus.

Leo Papa.

Augus.



tur Ecclesia. Et lib. 2. de symbolo ad catechumenos, c. 5. & lib. 3. ca. 4. dicit, Innocentes martyres testimonium reddidisse innocentie Christi. Idem Episto. 23. ad Hieronymum, & ferm. 8. de Sanctis, cum sequentibus, qui sunt de Innocentibus. Origenes etiam homil. 3. in varios locos Euangelij huius antiquæ traditionis meminit, & hunc in modum sensum Ecclesiæ interpretatur, dicens: Horum memoria semper, ut dignum est, in Ecclesijs celebratur secundum ordinem integrum sanctorum, ut primorum martyrum pro Domino occisorum, ut ipsa Bethleem, in qua natus est Dominus primitias martyrum Domino obtulisse videatur.

Denique Patres omnes in concionibus, quas de sanctis Innocentibus scripserunt, omnesque catholici Scriptores Euangeliorum Matthæi 2. testes sunt, illos Innocentes fuisse fere martyres, & hoc nomine ab Ecclesia coli. Tertio, est optima ratio, quia, nisi illi Innocentes fuissent martyres, non potuisset Ecclesia omnes illos sua solemnitate canonizare, & ut vere beatos colere: quid enim si aliqui eorum circumcisi non fuerant? est enim id valde verisimile: nã occisi sunt omnes à bimatu, & infra: ergo etiam illi, qui nondum octauum diem ætatis attigerant, quos necesse erat nondum esse circumcisos: ac vero Ecclesia omnes generatim, & sine vlla exceptione colit: quia reuera non ob circumcisionem, nec ob gratiam, quam in ea acceperant, sed ob mortem pro Christo susceptam eos veneratur: hæc enim sola causa, & titulus venerationis erat illis omnibus communis. Immerito ergo Adrianus dixit, non satis constare in hac parte de sensu & doctrina Ecclesiæ. Quia neque factò, neque verbo potuit Ecclesia clarius suam mentem aperire, & antiquam traditionem nobis proponere, quare non video, quo modo sine temeritate, & magno errore possit hoc in dubium reuocari. Ex hoc autem singulari factò recte colligimus nullum infantem ratione infantie esse martyrij incapacem: sed omnes eos, qui eodem modo pro Christo mortem sustinuerint, vere esse martyres: nam eadem est ratio & causa in cæteris infantibus, quæ fuit in illis Innocentibus. Quia vel in illo factò intercessit speciale priuilegium factum illis pueris, vel non: si non intercessit, ergo non est, cur alij censentur magis incapaces martyrij, quam illi, cum omnes æque careant vfu rationis: si vero intercessit priuilegium, hoc certe non est factum personis, sed causa: quid enim in illis pueris cogitari potest pertinens ad personalem dignitatem, vel conditionem eorum, propter quod huiusmodi priuilegium illis concessum sit? Nihil sanè. Tota ergo ratio illius priuilegij fuit causa mortis: nimirum quod propter Christum occisi sunt. Vnde eleganter Cyprianus supra. Sufficit causa testimonio, licet nondum eloquio distinguantur. Et Leo Papa. Ut disceretur, nullum hominem incapacem esse diuini sacramenti. Et eodem modo loquuntur ceteri Patres. Quin etiam Ecclesia eodem modo inter martyres numerat quoslibet pueros vel infantes, qui in lege gratiæ pro Christiana religione mortui sunt: ut constat ex omnibus historijs Ecclesiasticis, & ex modo loquendi Sanctorum. Cur enim priuabuntur nunc infantes huiusmodi priuilegio & honore? Neque enim gratia Christi minus liberaliter nunc, quam eo tempore communicatur: neque horum mors minus est propter Christum, quam illorum: imò quodammodo videtur expressius ac formaliter esse propter Christum: nam, licet omnes interfecti sint in odium Christi: tamen illi priores Innocentes solum mortui sunt inter querendum Christum: hi vero interficiuntur propter fidem Christi, & ad destruendam & euertendam religionem eius: est ergo par omnium ratio.

Secundo igitur dicendum est, Baptisimum sanguinis satis esse posse Infantibus ad salutem sine baptismo aquæ. Hæc conclusio sequitur ex præcedenti. Primo, quia verum mysterium est sufficiens ad salutem, ut scissione sequenti ostendam: imò in parulis non potest alia ratione mors eos martyres efficere, honore & cultu dignos: nisi quia efficit sanctos: constat præterea, illam mortem non dici martyrium, quia sit actus virtutis fortitudinis in ipsis infantibus, ut ratio dubitandi in principio posita satis probat: dicitur ergo martyrium, quia ex eo, quod est propter Christum, habet effectum martyrij, qui per se sufficit ad salutem. Præterea Innocentibus ab Herode occisis martyrium illud fuit sufficiens ad salutem sine circumcissione: ergo & nunc erit sine Baptismo. Dices, non fuisse autem necessitatem circumcissionis, quanta est Baptismi, quia tunc ante octauum diem poterat aliquod remedium prodesse. Sed contra: quia saltem ab octauo die erat tam necessaria circumcissio, vel saltem aliquod sacramentum legis naturæ: erat tam necessarium simpliciter, sicut nunc est Baptismus: & tamen quamuis neutrum fuisset applicatum, certissimum est, illam mortem fuisse sufficientem ad salutem, ut constat ex adductis in prima conclusionem: ergo non obstante necessitate Baptismi similis mors nunc sufficit: quia institutio Baptismi nihil indignitatis, vel efficaciam martyrio abtulit: quin potius probabile est, per Christum vtriusque Baptismi gratiam fuisse specialiter concessam, vel confirmatam, & auctam, ut de Baptismo sanguinis dicitur inferius: nam de Baptismo aquæ res est omnino certa: nam sicut illius necessitas, ita & efficacia ex Christi institutione & promissione manauit: priuilegium autem martyrij, licet semper fundatum fuerit in meritis Christi, tamen non est improbabile fuisse antiquius, quam institutionem Christi post incarnationem factam: esto, tamen ita sit, non fuit tamen per Christum, aut institutionem Baptismi reuocatum, sed confirmatum potius, iuxta verba Christi, Qui me confessus fuerit coram hominibus. Et verisimile est, fuisse etiam auctum: nam ita decet statum, & perfectionem legis gratiæ, in quo vberius & liberalius Christi gratia communicatur.

Ad rationem ergo dubitandi in principio positam, respondetur, martyrium posse considerari, ut actum virtutis, & ut sic non habere locum in infantibus: vel solum, ut est actualis mors, quam innocens pro Christo patitur: & ut sic non est de ratione eius, quod sit actus virtutis: imò nec est necessarium, quod mors sit voluntaria in eo, qui non est capax proprii cõsentus. Vnde dici potest illa mors martyrium, quoad martyrij gloriam & efficaciam, quamuis non, quoad essentiam virtutis. Vel dici etiam potest illa mors obiectiue honesta & studiosa: quamuis formaliter, ut est in eo, qui eam patitur, non sit ex virtute, sicut non est ex voluntate. Ad confirmationem respondetur, non esse simpliciter contra necessitatem Baptismi aquæ, priuilegium, seu exceptionem, quæ sit etiam de Baptismo sanguinis. Primo quidem, quia per seloquendo Baptismus aquæ semper debet præcedere, etiam si statim speretur Baptismus sanguinis, & male facerent parentes tutores, vel pastores, qui infantem priuarent Baptismo aquæ, etiam si statim esset pro Christo occidendus: hoc autem malù nihil paruulo obesset, quo minus frueretur fructu Baptismi, cum non esset positus in voluntate eius. Deinde, quia hæc exceptio ab eodẽ Christo est facta, vel cõfirmata illis verbis. Qui me confessus fuerit coram hominibus: nã, ut Patres dicunt, infantes, quibus non verbis, re & opere Christum confiteatur: eiq; conformentur. Accedit etiam traditio Ecclesiæ à nobis explicata. Vnde non est necesse querere in his infantibus, qui nunc pro Christo occiduntur, votum Baptismi aquæ: nam hoc reuera proprie nullum est, nisi fortasse per extrinsecam voluntatem, & acceptionem Christi, sed non

Origenes.

Adrian.

Quilibet infans potest esse martyr.

Cyprian. Leo Papa.

Baptismus sanguinis satis est infantibus ad salutem sine baptismo aquæ.

Est necessarium, absolute loquendo, huiusmodi votum proprie dictum: quia baptismus sanguinis per se sufficiens est, & non quasi in virtute alterius: vortu autem sacramenti tunc dicitur esse necessarium, quando effectus datur in ordine ad tale sacramentum, quasi supplendo locum & vicem illius, donec ipsum applicetur: hoc autem non ita est in martyrio, sed per se, & ex propria promotione hoc habet privilegium, vt in sequentibus dicemus latius.

SECTIO II.

Vtrum Baptismus sanguinis sufficere possit adultis ad salutem absque Baptismo aqua.

Non inquirimus, an voluntarie possit omitti Baptismus aqua, propterea quod instet, vel statim speretur necessitas sustinendi martyrium: nam certum est, si in hominis potestate se preparare per Baptismum aqua, antequam mori pro Christo cogatur, teneri ad id faciendum non minus, quam in quouis periculo mortis teneretur: quia praecipuum Baptismi semper obligat: & nihil est, quod in eo casu excuset ab obseruatione eius: quia, licet martyrium per se sit optimus virtutis actus, & magna habeat privilegia: non tamen tollit aliorum praecipuorum obligationem: nec excusat, quin homo vbi debeat ordinari ac necessariis remediis salutis, si facultas adfit: quin potius, quo martyrij certamen difficilius est, eo magis debet homo se ad illud disponere, praesertim per sacramenta ad salutem necessaria: quapropter, quia voluntarie negliget, quamdiu in ea voluntate perseverat, non est ad martyrium idoneus, nec fructum eius recipiet, vt Epist. 54. copiose Cyprianus dicitur.

Cyprian.

In epistola huius quae sit.

Quaestio ergo proposita solum habet locum in fidei adulto, qui ad martyrium rapitur prius, qua re ipsa possit suscipere Baptismum aqua: an illi satis esse possit ad salutem martyrii, tanquam Baptismus sanguinis. Et ratio difficultatis est, quia si in infantibus martyrium habet hanc virtutem & efficaciam, cur non in adultis? In contrarium vero est, quia adultus cum sit capax propriae rationis & voluntatis, potest se ad gratiam disponere ac preparare per conuersionem in Deum & detestationem peccati: & cum hoc remedium sit per se necessarium ad salutem, tenetur per se illud adhibere per veram contritionem, instante mortis periculo, & praesertim deficienti Baptismo aqua, quam obligationem non tollit martyrium, vt ex dictis colligi potest. Nam doctrina data generalis est. Vel ergo adultus, instante martyrio, in praedicto casu ita se disponit, vel non: si non, incapax est martyrij, & fructus eius: quia voluntarie perseverat in peccato: si vero se ita disponit, illa dispositio habebit rationem Baptismi flaminis: & virtute continebit votum Baptismi aqua: ergo iam ille homo non saluabitur per solum Baptismum sanguinis, sed per baptismum flaminis, seu (quod idem est) per Baptismum aqua, non in re, sed in voto.

Quomodo si non in faceret ab adultis, quod attinet ad martyrium. D. Thom. 2. 2.

In hac re supponendum in primis est, hoc differre inter infantes & adultos: quod in illis martyrium non requirit consensum voluntarium ipsius martyris, sed sufficit violenta mors a tyrano propter Christum, seu in odium Christi illata: at vero in adultis de ratione martyrij est voluntarius consensus, vt docent D. Th. 2. 2. quaest. 124. art. 1. & 2. & Caietanus ibi, fere in vltimis verbis, & Soto in 4. distinct. 15. quaest. 1. articulo 1. & lib. 2. de natura & gratia, capitulo 16. Quod circa licet contingat aliquem fidelem in somno a tyranno occidi in odium Christi, si nullam voluntatem prius habuit circa mortem illam, non erit martyr, neque ex illa morte aliquem fructum gratiae: aut remissionem culpa vel poenae consequetur. Ratio huius primum reddi potest ex illo generali principio quod adultus, quia est capax propriae voluntatis, sine illius Franc. Suarez. Tom. 3.

libero consensu non consequitur regulariter gratiam: neque remissionem culpa: & ideo nulla actio, vel passio exterior illi potest ad salutem prodesse, nisi aliquo modo voluntaria sit: ergo etiam mors extrinsecus illata, nisi sit voluntaria, non habet in illo effectum gratiae, vel remissionis culpa: ergo talis mors non est martyrium, quia ex privilegio, seu quoad effectum, & dignitatem martyrij: sed neque etiam est vere ac proprie martyrium, quoad essentiam: quia de ratione eius est, vt sit opus virtutis: quod essentialiter a voluntate pendet: ergo nullo modo est martyrium in adulto sine voluntate eius. Et confirmatur a simili de Baptismo aqua: qui, licet in paruulo non requirat consensum propriae voluntatis, in adulto tamen non potest esse sine illo: quamuis gratia & privilegium huius Baptismi non manet ex voluntate recipientis, nec pendeat ex merito illius: solum ex illo principio, quod salus animae, & remedia, per quae efficitur, voluntaria esse debent ei, qui sua voluntate vti potest: ergo idem maiori ratione dicendum est de martyrio.

Ex quo vterius infero, ad veram martyrij rationem, vt Scriptura & Sancti de illo loquuntur, necessarium esse, vt haec voluntas, qua mors pro Christo acceptatur, sit honesta, immo supernaturalis aliquo modo. Probatur prior pars: quia necesse est, vt procedat ex honesto motiuo: nam si fiat propter gloriam vanam, aut famam, vel aliud simile humanum commodum, non meretur illa mors nomen martyrij, vt merito docent omnes Theologi: quia talis mors, neque est actus virtutis, nec fortitudinis: neque est propter Deum, seu Dei amorem aliquo modo, neque propter confessionem Christi, seu fidei eius, sed propter inanem gloriam. Vnde de illo, qui sic moritur, recte dici potest, recepit mercedem suam. Et in illum optime quadrat, quod Paulus ait. Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Denique, si natura & efficacia talis humani motiuus confideretur, ex vi illius, seu ad famam & gloriam apud homines obtinendam, non minus erit aliquis paratus ad falsitatem, quam ad veritatem mordicus: & vsque ad mortem proficendam, si existimet, non minus posse vna via, quam altera, famam acquirere: & quam exoptat, signum ergo est, eum, qui sic moritur, proprie & vere non mori pro fide, aut Christo: non est ergo martyr, nec praebet testimonium veritati fidei.

De ratione martyrij est voluntas motiuus pro Christo honesta, & quodammodo supernaturalis.

Paulus.

Altero vero pars, scilicet, quod oporteat hanc voluntatem esse aliquo modo supernaturalem, & ex motiuo supernaturali profectam: probatur ex eisdem principiis, quia aliam non pateretur homo, vt Christianus, sed vt Philosophus: non ergo dici potest mori, aut pati pro Christo, aut pro defensione fidei, vel Christianae religionis, qua tenditur ad supernaturalem beatitudinem. Vnde est illud Petri, Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis: quonia, quod est honoris, & gloriae, & virtutis Dei, & qui est eius spiritus, super vos requiescet: nemo autem vestrum patietur, vt homicida: si autem Christianus, non erubescat: glorificet autem Deum in isto nomine. Vnde confirmatur. Nam ad veram rationem martyrij necesse est, vt procedat ex vera fide supernaturali. Vnde si contingat, hominem haeticum circa vnam fidei veritatem mori ob confessionem alterius veritatis fidei, ille non erit martyr, neque vllum effectum martyrij consequetur, vt eleganter tradit Cyprian. Epi. 52. 54. & 73. ad Iubaianum: & Augustinus lib. 1. de Baptismo, capitulo 11. lib. 3. capitulo 16. & lib. 4. capitulo 17. & ratio est, quia, qui caret fidei fundamento, nullo modo est Christo vnitus: non ergo potest mori pro Christo, aut pro eius fide: nam, licet videatur mori pro aliqua veritate, quae ad fidem spectat: tamen sicut haeticus illam non credit ex motiuo fidei, sed ex humana aliqua ratione & iudicio proprio: ita etiam non moritur pro Christi fide, vt Christi est, sed solum pro suo arbitrio & proprio

Petri.

Ad martyrium requiritur fides.

Cyprianus. August.



prio iudicio pertinaciter defendendo. Cuius iudiciū est, quia eodem modo erit paratus ad moriendum pro quacumque alia re, quam simili modo credit, etiam si contingeret, illam esse Catholicae veritati repugnantem: sicut ergo ex parte intellectus necessaria est fides: ita ex parte voluntatis necessaria est voluntas aliqua ex eadem fide procedens, vt actus ille aliquo modo in Christum, & in supernaturalem finem tendat.

*Actualis ne dilectio Dei super omnia sit de ratione martyrii.* Potest tamen vterius dubitari, an sit de ratione martyrii, vt procedat ex actuali charitate, & dilectione Dei super omnia. Aliqui enim Theologi ita sententia videtur: quoniam Paulus ait primū ad Corin. 13. Si tradidero corpus meum ita, vt ardeam: charitatē aut non habuerō, nihil mihi prodest. Et D. Th. 2. 2. q. 12. 4. art. 2. ad 2. dicit, Martyrium esse actum charitatis, vt imperantis: fortitudinis autem, vt elicientis.

*D. Thom.*

*Caust.*

Vbi Caietanus sentit: non posse haberi honestam & veram martyrii voluntatem, nisi imperatam ab amore Dei super omnia ex charitate perfecto. Sed quamuis demus, hoc charitatis imperium esse perfectissimum, & maxime efficacius principium, eleuans & confortans hominem ad perseverandum in difficilissimo actu martyrii, nihilominus per se loquendo, & considerata arbitrii libertate, diuina gratia adiuta, non videtur dubium, quin possit hic actus elici à fortitudine infusa ex proprio motiuo absq; actuali imperio charitatis, vel ex imperio religionis & intencione diuini cultus, quo modo potest quis velle mori, nec cultum soli Deo debitum transferat in idolum: vel ex imperio virtutis obedientiae: vt si quis velit mori potius, quam diuinam legem transgredi: vel ex pia affectione ad fidem, vt contingere potuit in multis martyribus: vel deniq; ex solo intrinseco motiuo fortitudinis: quia intrinsece & per se honestum est constanter tolerare mortem, quando oportet propter maius bonum: qualibet enim ex his rationibus per se sufficiens est ad mouendam voluntatem: quilibet etiam virtus per se sufficiens est ad eliciendum suum actum intra proprium obiectum: neque vna virtus voluntatis essentialiter pendet in suo actu ab imperio alterius, quia, vt ex 1. 2. constat, hæc relatio actus vnius virtutis in finem alterius, quamuis ex parte operantis possit esse precipua & maxime intentata: tamen ipsi actui imperato, seu relato in finem extrinsecum, accidentalis est. Potest igitur dari voluntas supernaturalis moriendi pro fide, aut religione, absq; actuali Dei amore super omnia: mors ergo acceptata illa voluntate habebit veram & essentialem rationem martyrii: quia, & est opus virtutis, & est in confessionem Christi, & quasi in maximum testimonium & irreuocabile fidei. Nihil autem aliud videtur Christus postulasse ad veritatem martyrii, cum dixit: Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.

*Matt. 10. 16. Marc. 8. Paulus.*

*D. Thom.*

Matt. 10. & 16. Marc. 8. Qui perdidit animam suam propter me & Euangelium, saluam faciet eam: Nec Paulus dixit: si tradidero corpus meum sine actuali dilectione, & relatione charitatis, sed sine charitate: quæ sunt valde diuersa. Nam potest quis esse in charitate & amicitia Dei, non operari ex actuali imperio charitatis. D. Thom. autem non dixit, de essentia martyrii esse, vt imperetur à charitate: sed potius dixit, essentialiter esse actum fortitudinis, qui natura sua est aptus imperari à charitate: & hoc est illi maxime consentaneum propter difficultatem eius, & propter quandam coniunctionem, quam habet cū Deo, ac diuinis rebus: ideo vocauit illum actum imperatum à charitate, seu imperabilem natura sua. Vnde idem Diuus Thom. quodlib. 4. articul. 19. fateatur, posse reperiri martyrium sine imperio charitatis. Sed quamquam hoc verum sit de martyrio sub essentiali ratione martyrii considerato: difficultas vero superest, an huiusmodi martyrium, secluso merito, seu dispositione charitatis vi sua, seu speciali pri-

uilegio, sufficiat ad supplendam vicem Baptismi aquæ.

In hac re videtur esse antiquorum Theologorum opinio, negans martyrium per se habere hanc efficaciam. Ita sentit Alexander Ales. 4. p. q. 22. memb. 5. vbi aperte negat posse martyrium dare adulto primam gratiam: qui sane consequenter loquitur, cum ibidem neget, posse martyrium habere effectum gratiæ in infantibus: tamen, sicut in hoc posteriori puncto sententia Alesis improbabilis est: ita minorem facit fidem in puncto, de quo disputamus. Eandem vero sententiam tenet Bonauentura in 4. d. 4. 2. par. distinct. ar. 1. q. 2. vbi negat, posse Baptismum sanguinis conferre gratiam gratum facientem, aut remittere culpam mortalem, quamuis de paruulis nihil expresse loquatur: Paldanus etiam d. 4. questione 3. art. 1. vbi prius negat Baptismum sanguinis habere effectum ex opere operato, aut sine praua contributione posse ad salutem prodesse: postea vero tribuit illi effectum remittendi omnem culpam originalem, actuale, & mortalem, & omnem poenam, & in paruulis dicit supplere altiori modo effectum Baptismi aquæ. Quæ non videntur satis consequenter dicta, nam, si martyrium, vt sit fructuosum, supponit contributionem & gratiam, & non habet fructum nisi ex merito operantis, quomodo delet culpam originalem aut mortalem, cum necessario supponat illam remissam per contributionem & gratiam? Quomodo ergo supplet in paruulis Baptismum aquæ, si non dat illis aliquo modo effectum ex opere operato? Aut, si dat illis, cur non etiam adultis? Durandus etiam ibi, q. 8. lubricus est in hac parte, nam in fine quaestionis in solutione ad tertium, videtur fauere huic sententiae: dum ait, martyrium requirere charitatem patientis, quamuis non à sola illa habeat efficaciam: prius tamen n. 6. & 8. dicit, per martyrium remitti culpam perfectius, quam in Baptismo aquæ, & idem non minus operari ad salutem, & propterea vocari Baptismum sanguinis. Tandem huic sententiae multum fauet D. Tho. supra quaest. 66. ar. 12. ad 2. vbi sic inquit, Effusio sanguinis non habet rationem Baptismi, si sit sine charitate. Ex quo patet, quod Baptismum sanguinis includit Baptismum flammis. Ex recentioribus vero acriter defendit hanc sententiam Canorelect. de Poenitentia par. 3. Potestque in eius fauorem citari Bernardus Epist. 7. vbi generatim dicit, sine charitate nullum sacrificium esse Deo acceptum, etiam martyrium, iuxta illud primæ ad Corin. 13. Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuerō, nihil mihi prodest. specialius idem Bernardus epist. ola 77. circa medium significat, martyrium non supplere vicem Baptismi, nisi ex fide & merito suscipiens: quod est re ipsa negare ipsum martyrium supplere vicem Baptismi: sed meritū ipsum, seu veram conversionem in Deum, quam supponit Baptismi vicem supplere. Vnde subdit idem Bernardus si deest externum martyrium, internam fidem & voluntatem esse sufficientem dispositionem ad iustitiam.

Fundamentum huius sententiæ facile constat ex dictis: nimirum quod martyrium, cum non sit verū sacramentum, non dat gratiam ex opere operato: ergo non potest per se remittere culpam: ergo non potest per se supplere vicem & necessitatem baptismi aquæ. Patet hæc vltima consequentia, quia primaria necessitas baptismi aquæ est ad remittendam culpam: ergo quod non potest remittere culpam, non potest supplere vicem baptismi.

Dico tamen primo: simpliciter & absolute fatendum est, martyriū obtinere vim baptismi aquæ in adultis, atq; ita posse supplere vicem eius, quando non voluntatis contemptus, sed necessitas cogit pati martyrium absq; baptismi aquæ. Ita docet D. Th. supra q. 66. art. 11. & infra q. 87. ar. 1. ad 2. & plures alij Theologi: quos inferius referam. Præcipue tamen probatur

tur hæc veritas ex Patrib. adiunctis scripturis, quas ipsi in hanc rem adducunt, & interpretantur. Inprimis Clem. Papa lib. 5. Constit. Apostolicar. cap. 7. Qui martyrium, inquit, cõsequi meruit, gaudet in Dño, & tãtam coronam est adeptus: & quamvis fuerit carnemenuus, lætus discedat: passio enim, q̄ pro Christo sustinet, cedit in vtiorem Baptismum, quoniam ipse re ipsa commoritur Christo, alij in figura. Vbi nõ tantum voluntati, sed ipsi passioni, hunc attribuit effectum: & rationem sumit ex ipsa reali conformitate ad Christum, quæ per ipsam exteriorem mortem & passionem fit altiori modo, quam per exteriorem abluitionem. Quam rationem insinuant alij Patres citandi, eamq̄ D. Th. & alij Scholastici amplectuntur, & est optima congruentia ad explicandam promissionem & institutionẽ Christi, quæ est prima radix & fundamentum huius veritatis. Præterea Cyprianus episcopus, sic scribit. Numquid potest vis Baptismi esse maior aut potior, q̄ confessio? quam passio? ut quis coram hominib. Christum cõfiteatur, & suo sanguine baptizetur? Ex quo principio concludit inferius, cui prodesse non pot martyrrium, nec Baptismum aquæ posse prodesse: nam illius vis maior est: igitur ex mente Cypriani constat, si Baptismum aquæ pot prodesse homini habenti originale, vel actuale peccatũ, ad tollendum illud, Baptismum sanguinis posse eidẽ prodesse: præsertim si ex parte affectus ipsius hominis non sit maior repugnantia. Quod aperte cõfirmavit idem Cyprianus in expositione orationis dominicæ circa illa verba, Et dimitte nobis debita nostra, dicẽs, Quale delictum est, quod nec Baptismo sanguinis potest abluĩ? quale crimen est, quod nec martyrio potest expiari? quasi dicat, nullum: præter ipsum actuale affectum peccati: ut inferius declarat. Similia habet in sermone de Stella & Magis, vbi eodem modo præfert Baptismum sanguinis Baptismo aquæ, sic est Aug. 13. de Ciui. c. 7. Quid pretiosius, quam mors, per quam fit, ut delicta omnia dimittantur? quam vim dicit habere martyrrium ex Christi promissione: nõ, sicut ille dixit, Ioa. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto: ita dixit Mat. 10. & 17. Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eũ coram Patre meo: significat aut Aug. eodem loco, neminẽ posse martyrrium pati sine gratia & charitate, dicens. Quando sine abundantia gratiæ & spiritus tantum Christum amare possit homo, vt eum in tanto vita discrimine, sub tanta spe veniẽ, negare non possit? Sed hæc verba intelligi possunt de gratia excitante, & adiuuante, & de amore, opere ipso exhibitio: gratia enim habitualis, quamuis & multum conferre possit, & moraliter loquendo, frequentius antecedat: non est tamen simpliciter necessaria, vt per se manifestum est.

Præterea, quod Baptismus sanguinis, per se sufficit. Ioco Baptismi aquæ, aliis locis frequenter docet Aug. vel lib. 4. de Baptismo. c. 22. li. 1. de anima & eius origine. c. 9. & de Ecclesiasticis dogmatibus, c. 74. vbi dicit Aug. vel potius Gennadius: omnia peccata remitti in Baptismo, in martyrio autem extingui. Et eodem modo loquitur Ambr. lib. 1. de Pœnitentiã, c. 2. vbi ponderat, dixisse Christum distributue seu vniuersaliter. Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eũ coram Patre meo. Postea vero indefinite addidisse, Qui aut negauerit me coram hominibus, negabo & eum coram Patre meo. Mat. 10. Luc. 12. Vt quod est inquit, miserationis, exaggeret, quod est vtiõis, extenuet: & idem fere est, quod Augustinus ait, lib. de vera & falsa pœnitentiã, capite quinto, id factum esse ad significandum, etiam maximis peccatoribus posse prodesse martyrrium. Eandem sententiam docuit Prosper in libro Sententiarum, in 149. dicens. Qui non percepto regenerationis lauacro, pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad abluẽda peccata, quantum si abluentur fonte baptismatis. Multa etiam ad hanc rem Franc. Suarez Tom. 3.

habentur in lib. de singularitate Clericorum, qui tribuitur Cypriano, & existimatur esse Origenis, c. 20. vbi inter alia dicitur. Martyrium appellatur tam Baptisma, quam corona: quia baptizatur pariter & coronatur. Rufinus etiam in expositione symboli, c. 16. per aquam & sanguinem, quæ manant de latere Christi: dicit, significata esse duo baptismata, aquæ, & sanguinis. Vnde Cyrillus Alexandrinus, lib. 2. in Leuiticum, dicit primum remedium ad remissionem peccati esse Baptismum aquæ: secundum autem esse martyrrium.

Et consentiunt alij Patres, qui inter baptismata martyrrium numerant, vt Gregorius Nazianzenus Greg. Naz. oratio. 39. Ambrosius ser. 3. in Psalm. 118. Tertullianus Ambros. lib. de Baptismo c. 16. Nec minus fauent, qui tractantes de necessitate Baptismi aquæ, excipiunt Baptismũ sanguinis, vt Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 3. Cyril. Hier. Si quis non baptizatur, salutem non habet, præter solos martyres. Et Fulgentius de fide ad Petrum, c. 3. Fulgent. Absque sacramento baptismatis, præter eos, qui in Ecclesia Catholica sine baptismate pro Christo sanguinem fundunt, nec regnum cœlorum potest quisquam accipere, nec vitam æternam. Et eandem exceptionem facit Bernard. episcopus. 77. & alij Patres supra relati tractando de necessitate Baptismi: qui omnes euidentius de adultis, quam de infantibus loquuntur: hæc autem exceptio nullius momenti esset, si martyrrium per se ipsum non posset aliquo modo saluare hominem, & à peccato mundare: & hoc modo vicem Baptismi aquæ supplere. Nam si totum esset semper referendum in meritum & dispositionem hominis, nullam exceptionem martyrij facere oporteret: tum quia, posita illa dispositione, sine martyrio saluaretur homo: tum etiam, quia nunc proprie non saluatur per martyrrium, sed per Baptismum aquæ in voto contento in dispositione per se sufficiente ad salutem. Vnde tandem fit, vt nulla alia ratio possit ratio baptismatis martyrrio accommodari, si per se non suppleat vicem Baptismi aquæ, & id præstet, quod daret Baptismus aquæ, si adesset, scilicet spirituales abluitionem ab omni culpa.

Atque hinc petenda est ratio conclusionis posita: dicitur enim martyrrium supplere vicem baptismi aquæ, ratione effectus, scilicet, quia per se est sufficiens remedium ad salutem, deficiente Baptismo aquæ. Ratio autem huius effectus habet quidem magnam congruitatem in ipso opere, tum propter magnam difficultatem eius, tum quia de se est opus & signum maximæ dilectionis, iuxta illud. Maiorem charitatẽ nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis: Tum etiam, quia in eo opere est quidam virtualis contemptus omnis boni creati, & inferioris ordinis propter Christum: tum maxime, quia re ipsa configuratur homo Christo, vt supra dicebamus. At vero proprium fundamentum habet hic effectus in Christi promissione, quam ipse significauit in locis Euangelij supra citatis: & sancti Patres explicauerunt, & vsus ac traditio Ecclesiæ. Cum enim ostensum sit martyrrium habere hanc vim circa infantes, non tantum in aliquo singulari factõ, sed etiam communi & statuta lege: constat non aliunde manasse, nisi ex diuina promissione, quæ adhuc durat, & durabit vsque ad finem sæculi: non est autem, vnde hæc promissionem ad solos infantes limitemus, cum verba Christi sint vniuersalia: immo expressius videantur ad adultos pertinere, cum Patrum & Ecclesiæ sensus huic vniuersali interpretationi magis faueat. Hinc enim est illud Innoc. 3. in c. Cum Marthe, de celebratione Missarum, Iniuriam facit martyri qui orat pro martyre: Innoc. 3. quod sumptum est ex Augustino, serm. 5. de martyribus: serm. 27. de verbis Apostoli. tractatu 84. in Ioan. August. Iniuria est pro martyre orare, cuius nos debemus orationibus commendari: certauit enim contra peccatum, vsque ad sanguinem. Quæ verba vltima indicant optimam congruentiam: maxime enim de-



cet, vt Deus condonet peccata ei, qui contra peccata tam fortiter dimicat. Hinc etiam est illud Tertulliani in Apologetico in fine. Quis non pati exoptat, vt totam Dei gratiam redimat, vt omnem veniam ab eo compensatione sui sanguinis expediat: omnia enim huic operi delicta donatur. Quia etiam in Scorpiaco, c. 6. martyribus accommodat illud Pf. 31. Beati, quorum remissa sunt iniquitates: Proprie enim, inquit, martyribus nihil potest imputari, quib. in la-uacro vita ipsa deponitur. Sic etiam Cypr. lib. de laudibus Martyrij in fine concludit. Igitur, cum ad exemplum Dominice passionis, atq; ad omne testimoniu Christi, animam tuam ponas, ne fundere sanguinem metuas, martyrio necesse est, vt totum cadat, martyrij inestimabilis gloria, infinita mensura: & quae sequuntur: quib. tandem adiungit, hoc totum esse diuinae promissionis & muneris. Hinc deniq; est communis ille consensus Theologorum omnium, martyrem statim in caelum euolare, de quo late tractant Clemens Alexandrinus lib. 4. Stromatum, & Cyprianus Epistol. 52. constat autem hoc non posse certo & infallibiliter conuenire martyrio ex solo merito, vel satisfactione operantis: possent enim interdum tanta esse peccata, & peccatorum reatus, & de conuerso tam leues dolores mortis, & tam remissa & imperfecta voluntas patientis, vt ex solo opere operantis non sufficerent ad perfectam, & condignam satisfactionem: necesse est ergo fateri, interuenire hic aliquam diuinam promissionem, & extraordinariam legem seu privilegium martyrio concessum. Hinc ergo habet praedictam vim, vt vicem Baptismi supplere possit.

Tertull.

Cyprianus.

Clem. Alex. Cypr.

Baptismo sanguinis quid obtineri possit. D. Thom.

Caiet.

Durand.

Gabriel. D. Thom.

Damas.

renitentem inuenerit: quod ideo aduerto, vt confite-  
Diuum Thomam eandem sententiam, quam in quarto tenuerat, in hac tertia parte docuisse, & in eodem sensu fuisse locutum. Atque ita sentiunt moderni eius expositores: Soto in 4. distin. 15. q. 1. art. 1. & quaestione 2. artic. 1. & libro secundo de natura & gratia, cap. decimo sexto, Ledesma in 4. 1. part. quaestione 25. articulo quinto, dub. 1. & eandem sententiam fuisse defendit Vega lib. 6. in 6. sessione. Concilij Trident. capit. 36. & 37. sequiturque haec conclusio manifeste ex praecedenti: nam martyrium dicitur Baptismus sanguinis, & remedium sufficiens ad salutem deficienti Baptismo aquae, & ad suppleendum vicem eius, ratione effectus, vt declaratum est: sed hic effectus, respectu Baptismi aquae est remissionis originalis, & mortalis peccati si adit, & effectus gratiae, etiam primae: ergo oportet, vt martyrium possit haec omnia dare: alias quomodo supplebit vicem Baptismi aquae? Aut quomodo saluabit hominem sine illo, cum non possit saluari sine remissione peccati & gratia? Quocirca omnia, quae adduximus ad priorem conclusionem probandam, hanc confirmant, nec plura videntur requiri. Fundamentum autem contrariae sententiae postulat multa tractanda in sectione sequenti, vbi & illud & alia, quae contra nostram sententiam obijci possunt, dissoluemus.

SECTIO III.

Quam dispositionem requirat baptismus sanguinis in adulto, vt illi suum conferat effectum.

**D**uae possunt esse opiniones extreme contrariae. Prior affirmat necessarium esse contritionem, & consequenter charitatem elicentem, aut imperantem, vel saltem informantem & viuificantem opus martyrij. Hanc tenent auctores citati in prima sententia, sectione praecedenti. Primum ac praecipuum fundamentum sumitur ex verbis Pauli primae ad Cor. 13. Si distribuero in cibos pauperum facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Vbi ponderandum est, eodem modo loqui Paulum de insigni actu elemosinae, & de actu martyrij, & eandem legem de vtroque statuere, quoad charitatis necessitatem, neque plus vni, quam alteri tribuere: sicut ergo actus elemosinae, quantumvis insignis in suo genere, & in quantitate rei donatae, si non supponat charitatem, & aliquo modo ab illa procedat, nullus est valoris apud Deum: ita etiam mors, seu martyrium. Atque hoc testimonium confirmat expositio Diui Thomae supra quaestione 66. articulo duodecimo, ad secundum, qui ex hoc loco Pauli colligit, baptismum sanguinis includere Baptismum flammis, & in corpore articuli dixerat, virtutem spiritus sancti operari in baptismo aquae per virtutem latentem, in baptismo poenitentiae per cordis commotionem: in baptismo autem sanguinis per potissimum dilectionis actum. Requirit ergo Diuus Thomas dilectionem & charitatem, vt martyrium habeat baptismi effectum.

Vnde argumentor secundo, nam iuxta D. Th. sententiam, hoc differt inter baptismum aquae & sanguinis, quod in illo operatur Spiritus sanctus per virtutem latentem: in hoc vero non, sed iuxta mensuram dilectionis: ergo in illo operatur ex opere operato per virtutem latentem, quam addit ipsi operi: in hoc vero non ita: ergo non est, vnde habeat martyrium vim faciendi hominem ex attritu, contritu: quia ad hoc necessaria est virtus specialis Spiritus sancti: ergo, vt aliquid conferat, necesse est, vt supponat hominem contritum.

Tertio vt erget ratio supra facta: quia alias martyrium

rium daret gratiam ex opere operato, si posset facere hominem ex attrito, contritum, consequens est falsum. Primo, quia alias esset sacramentum. Secundo, quia talis virtus martyrij, neque in noua lege specialiter ei data inuenitur, neque ante Christi aduentum illam habere potuit. Tertio, quia martyrium consummatur in morte, quando iam homo non est: ergo iam non potest illi dare gratiam: alias posset homo esse sine gratia toto vite tempore, & in primo instanti separationis animae à corpore iustificari: imo & beatificari ratione martyrij praecedentis, quod videtur absurdissimum: neque etiam potest dare gratiam ante instantis mortis, quia nondum veram martyrij rationem habet. Quocirca Cano, ubi supra constanter defendit hanc sententiam: imo addit, non sufficere ad consequendum effectum martyrij etiam dilectionem Dei super omnia in eo, qui mortaliter peccauit, sed omnino necessarium esse formalem dolorem & contritionem peccatorum: existimat enim tam necessarium esse huiusmodi formalem dolorem ad remissionem peccati mortalis, vt sine illo nunquam remittatur, etiam si adsit absoluta dilectio Dei super omnia, actu imperans martyrium. Sed in hoc excessit: non enim solum in casu martyrij (de quo statim plura) sed etiam absolute & per se, vera dilectio Dei super omnia supernaturalis & infusa, si contingat separari ab actuali dolore, est sufficiens dispositio ad gratiam obtinendam: nam satis est, quod virtute & voto dolorem includat: at hunc actum amoris Dei super omnia ab actuali dolore separari nunquam continget, nisi ex obliuione, vt latius in materia de poenitentia dicendum est.

Secunda opinio extreme contraria esse potest, martyrium nullam omnino dispositionem requirere, vt suum effectum conferat, praeter illam voluntatem moriendi pro Christo, à qua martyrium imperatur. Quae sententia varijs modis doceri potest. Primo asserendo per se, & non tantum per accidens, illam voluntatem esse sufficientem dispositionem: ita vt, quamuis homo, dum ad martyrium rapitur, actu recordetur se esse in statu peccati mortalis, non teneatur aliquam poenitentiam agere, neque in alijs interioribus actibus occupari praeterquam in illa voluntate fundendi sanguinem pro Christo: nam haec erit illi sufficiens dispositio ad gratiam & remissionem peccati obtinendam. Et hanc sententiam ita explicatam tenet Vega loco supra citato: & potest fundari primo: quia martyrium est per se sufficiens medium ad salutem, non minus, quam baptismus, vel poenitentia: ergo quando hoc remedium praesens adest, potest homo illo esse contentus, alijs praetermissis. Secundo, quia actus martyrij est per se difficillimus, ergo, quando instat eius occasio & necessitas, non est obligatus homo, vt ad exercendos alios actus diuertatur & distrahatur: ne virtus, in pluribus diuersa, in singulis fiat minor, poterit ergo se totum colligere, & in sola illa voluntate martyrij occupare, vt eam constanter, atque efficaciter eliciat, ergo illa dispositio ei sufficiet. Tertio, quia illa voluntas est virtualis quaedam dilectio Dei super omnia, & displicentia peccatorum omnium, ergo erit sufficiens dispositio ad effectum martyrij. Antecedens patet, quia per eam voluntatem homo contemnit propter Deum id, quod est in hac vita maioris aestimationis, nam dat vitam, ne Deum offendat, & diligit eum plus, quam seipsum, & virtute detestatur Dei offensam super omne detestabile.

Secundus modus docendi hanc sententiam esse potest, praeter voluntatem martyrij requiri, per se loquendo, aliquam dispositionem ad effectum eius in eo, qui antea erat in statu peccati: nam in eo, qui est in statu gratiae, ipsa gratia est sufficiens dispositio: ratio est, quia formalis poenitentia est per se necessaria ad salutem. Addit vero duo hae sententia, hanc dispositionem per se requiritam, solum esse attritio-

nem. Et ratio est, quia baptismus sanguinis est efficacior, quam baptismus aquae, vt supra ex Cypriano & alijs Patribus referrebamus: sed baptismus aquae per se est efficax cum tali dispositione: ergo multo magis erit baptismus sanguinis. Et confirmatur, quia martyrium per se confert gratiam paruulis, absque alia dispositione, ergo per se etiam confert gratiam adultis, etiam si non habeant maiorem dispositionem, quam illam, quae sufficit, vt non ponant obicem gratiae, ad hoc autem sufficit attritio, quia sufficienter auerit voluntatem à peccato. Secundum est per accidens ob inaduertentiam, seu obliuionem, posse sufficere voluntatem illam moriendi pro Christo absque alia formali poenitentia seu dispositione, vt si aliquis repente cogatur fidem confiteri, & totus in eo actu occupatus, omnino non recordetur actus vitae praeteritae: nec status sui, & subito in eo actu interficiatur, tunc enim & ratione obliuionis excusabitur ab omissione poenitentiae seu alterius dispositionis, & ratione illius voluntatis moriendi pro Christo, censetur factis dispositus ad iustitiam per martyrium obtinendam, propter rationes factas in priori modo.

Tertius modus explicandi hanc sententiam est, per se loquendo, dispositionem necessariam ad effectum martyrij esse contritionem & charitatem, ita vt si martyr sciens & volens illam omittat, nihil sit illi martyrium ad salutem profuturum: quia martyrium per se non auferit necessitatem aliorum mediorum: tamen ex accidenti, & ob ignorantiam inuenerit posse sufficere attritione: quia alioquin nunquam martyrium daret primam gratiam: tãtã potest esse ignorantia vel obliuio, vt sola voluntas martyrij sufficiat sine alia positua dispositione, dummodo non adsit actualis affectus ad peccatum: quia hoc satis est, vt non ponatur obex, & vt procedant aliae rationes supra factae. Et pro hac sententia sic exposta citari potest D. Tho. d. q. 87. art. 1. ad 2. dicens, Martyrii purgare ab omni culpa & veniali, & mortali, nisi actualiter voluntatem peccati inuenerit inhaerentem: nã licet haec verba ad quemlibet modum huius sententiae possint accommodari, tamen proprius & facilius iuxta hunc posteriorem modum explicantur, & verificantur. Nam qui ob inaduertentiam naturalem, actum omittit, etiam si alias illum efficere teneatur, ex hoc capite non habet voluntatem actualiter peccato inhaerentem: & ideo, si aliunde non est in alio actuali peccato, hoc satis illi erit, vt per voluntariam martyrij mortem saluetur, iuxta D. Tho. doctrinam, & hoc etiam optime accommodatur ad casum illum, de quo ibi D. Tho. sermonem habet, de homine dormiente in peccato, & in eo statu propter Christum occiso: hunc enim casum D. Th. in argumento proposuerat, & licet in argumento tamen extendit sermonem ad hominem dormientem in peccato mortali: quem dicit per martyrium posse saluari, solum, quia non habet voluntatem actualiter peccantem: supponit autem D. Tho. illam mortem esse voluntariam per aliquam voluntatem praecedentem: alioquin non haberet in adulto rationem martyrij. Pro hac etiam sententia potest citari Soto in 4. d. 3. q. vnica, ar. 11. in fine, quamuis ille non satis explicet, quo modo ex dictis hanc sententiam defendat, sed solum dicat, hunc actum: volo mortem pro Christo perpeti, cum ipso exteriori opere sufficere ad plenissimam indulgentiam omnium peccatorum, quoad culpam & poenam, si non opponatur obex complacentiae alicuius criminis, & (quod amplius est) addit, martyrium hoc modo sufficere per modum meriti, quia volitio mortis pro Christo, pro summa reputatur charitatis excellẽtia.

Tertia sententia media esse potest, solum voluntatem moriendi pro Christo nunquam sufficere ad effectum martyrij absque alia dispositione, quia oportet

3. Modus explicandi hanc opinionem.

D. Thom.

Soto.

3. Opinio.



ter voluntatem formaliter auerti à peccato, vel conuerti in Deum, non esset tamen necessarium, vt hæc dispositio semper sit contritio, vel amor Dei super omnia, sed sufficere posse attritionem, aut per se, aut per accidens, ob ignorantiam seu inaduerentiam, iuxta varias opiniones supra tractatas. Quæ sententia sic exposita potest confirmari, quia in baptismo aquæ nõ sufficit voluntas ipsius baptismi ad effectum eius absque alia dispositione, ergo nec sufficit in baptismo sanguinis, neque per se, neque per accidens, quia neutro modo sufficit in baptismo aquæ. Probatur consequentia, quia, licet baptismus sanguinis fortasse excedat in perfectione effectus, quem confert, tamen in virtute & promissione dandi effectum gratiæ, & remittendi omnem culpam, non potest excedere, imo baptismus aquæ videtur magis per se ad hunc effectum institutus: ergo non est verisimile, non posse operari in subiecto æque disposito, aut è contrario, minorem dispositionem requiri cum baptismo sanguinis, quam cum baptismo aquæ.

## 3. Conclusio.

Dico primo, per se loquendo, tenetur homo, qui est in peccato mortali, instante occasione seu necessitate moriendi pro Christo, præmittere contritionem peccatorum per formalem detestationem eorum, & dilectionem Dei super omnia. Vnde, si voluntarie hoc omittat, & sine ea dispositione moriatur, non saluabitur per martyrrium. Hanc conclusionem existimo certam: primo ex generali ratione & obligatione charitatis, quia homo tenetur suæ salutis providere: nam, quod mors exterior pro Christo suscepta sufficiat ad remissionem peccati sine contritione, est quidem opinio speculatiue probabilis, tamen simpliciter est res dubia: & si fortasse in re est falsa talis opinio, nihil ei proderit ad salutem, qui de tali opinione confusus sese sine peccatorum contritione morti exposuerit: ergo tenetur, saltem ex charitate propria in re tanti momenti non relinquere medium certum pro incerto: tenetur ergo contritionem præmittere. Secundo est ratio à priori, quia occasio martyrrii non tollit obligationem adhibendi media necessaria ad salutem: neque enim martyrrium est, veluti medium per se institutum ad tollendum peccatum, sed potius ex se supponit hominem bene dispositum ad transitum ex hac vita: & consequenter, quantum in se est, petit, vt prius homo seruet omnia necessaria, & à Deo instituta ad gratiam & gloriam consequendam: & hac ratione dicebamus sua, teneri parentes ad baptizandos prius suos paruulos infantes, etiam si sciant, statim fore pro Christo occidendos: & maiori ratione tenetur homo adultus baptizari ante martyrrium, si commode possit: vel, si iam baptizatus sit, conscientiam autem mortalis peccati habeat, tenetur etiam prius confiteri, si potest: ergo, si baptizari non potest, tenetur saltem in Deum conuerti per amorem super omnia, & detestari peccatum per contritionem, si potest: probatur consequentia: quia sicut baptismus, vel confessio, est per se medium necessarium ad salutem: ita etiam interior penitentia & conuersio: quæ in omni tempore fuit necessaria, vt Conc. Trident. dicit sess. 14. c. 4. & nunc etiam est in lege noua, præsertim vbi non potest externum sacramentum adhiberi.

Trident.

Quocirca non potest, moraliter loquendo, ab obligatione hac excusari homo propter subitam mortis occasionem, nisi naturalis oblitio peccatorum, & penitentia de illis agenda intercedat: quia, si in ea occasione, quantumuis subita & momentanea, recordatur sui status, seu suorum peccatorum, simul etiam potest facile ea detestari, & in Deum conuerti vnicuique momento, & actu morali: neque enim propter hunc actum impeditur, quo minus de sustinenda morte propter Christum cogitare possit, & in ea voluntate confirmari: quin potius huiusmodi actus penitentia, & conuersionis in Deum, præbebit animum & vires ad alium actum confitendi fidem, & ad

recurrendum ad Deum per orationem, quæ in eo articulo maxime est necessaria, & optime nec, penando prius Deum per penitentiam: simulque veniam peccatorum ab eo postulando. Quamquam enim hi actus diuersi sunt, & in rigore physico fortasse non fiant, nec regulariter fieri possint in eodem instanti: nihilominus tamen moraliter sunt ita connexi, vt vnus alium excitet, & facillime fiat transitus ab vno ad alium in quacunq; breuissima mora temporis: in qua possunt dici moraliter simul fieri: & ideo, quantumuis occasio & tempus martyrrii breue sit & subito occurrat, si in eo homo aduertat, non potest excusari à culpa, voluntarie omitendo penitentiam interiorum eorum peccatorum, quæ, veluti sponte sua, memorie occurrunt tanquam commissa & nunquam per penitentiam deleta. Nec vero obligandus est homo tunc ad scrutandam conscientiam suam, vel inquirenda peccata præsertim in particulari, sed satis erit generatim dolere de offensa Dei eo modo, quo memoria occurrunt.

Dico secundo, Nihilominus, vt homo per martyrrium obtineat gratiam & remissionem peccatorum, non semper est necessarium, vt in re ipsa contritio intercedat, sed sufficere poterit attritio, saltem ex accidente, seu intercedente bona fide per ignorantiam probabilem iuris, aut facti. Hanc conclusionem, vt minimum, tenent D. Thomas & alij authores citati sectione præcedenti pro secunda sententia: & colligitur ex doctrina Sanctorum, quam in eadem sectione tradidimus: omnes enim tribuunt baptismum sanguinis vim ad remittendum peccatum mortale, non solum, quoad temporalem poenam, sed etiam, quoad culpam: si autem semper in re ipsa esset prius necessaria contritio, semper supponeret martyrrium culpam ablatam: nunquam ergo haberet efficaciam remittendi illam, sed tantum poenam. Vnde vltimus etiam sequitur, baptismum sanguinis vere ac proprie nunquam supplere baptismum aquæ: quia proprie & supponit effectum iam factum per baptismum flammis, & ipsum solum conferet augmentum gratiæ, quod est valde accidentarium ad necessitatem baptismi aquæ. Et confirmatur hæc ratio: nam si Carthagenus, prius quam offeratur occasio martyrrii, nihil pro se de illo cogitans, de peccatis conteratur & iustificetur, postea vero, ante baptismum aquæ martyrrii patiar, non dicitur ille obtinisse remissionem culpæ originalis aut mortalis per martyrrium: neque, quoad hoc martyrrium supplebit vicem baptismi in illo: quia ante martyrrium, illum effectum est consecutus per aliud remedium: quod de se nullum ordinem dicit ad martyrrium: ergo idem erit dicendum in quocunq; casu, si semper in re ipsa præmittenda est contritio: nam, quod hæc multo, vel paruo tempore antecedit, accidentarium est: semperq; est medium eiusdem rationis: neque in vno euentu magis dicit ordinem ad martyrrium, quam in alio. Dicit aliquis: hoc argumentum procedere, quando contritio tempore antecedit martyrrium: fieri tamen posse, vt simul in ipso martyrrio perficiatur: & tunc martyrrium remittere culpam, itante tali dispositione: sed hæc fuga in primis est imperpetua ad rem moralem: quia ille casus moraliter nunquam accidet: imo, si in rigore loquamur de martyrrio consummato, non potest accidere: nam martyrrium consummatur in morte, quæ est in primo non esse hominis, in quo contritio haberi non poterit, si prius non est aliquo modo habita, ita vt durate hac vita, sit remissio peccati obtenta. Quod si dicas, martyrrium, quoad statum, in quo potest habere effectum gratiæ, consummari in aliquo instanti ante mortem, vt nos etiam statim dicemus: Inquiri, de quo effectu sit sermo, an de effectu ex merito operantis, & hoc est falsum, quia, quamdiu durat vita, potest durare meritum operantis, etiam si vulnera lethalia ad eum statum perueniant, in quo iam nulla sit na-

Non tenetur

martyrium

martyrium

martyrium

martyrium

martyrium

martyrium

martyrium

martyrium

martyrium

martyrium

martyrium

martyrium

martyrium

martyrium

martyrium

martyrium

martyrium

martyrium

martyrium

martyrium

martyrium

martyrium

martyrium

martyrium

martyrium

martyrium

fit naturalis spes euadendi: Si vero fit sermo de effe-  
ctu gratiae ex opere, vel quasi ex opere operato, se-  
cum pugnat responsio, quia contraria sententia sup-  
ponit, per martyrium non dari gratiam, nisi ex me-  
rito operantis.

Vnde sumitur nouum argumentum: nam, licet  
admittamus contritionem concurrere cum marty-  
rio in eodem tempore vel instanti, nihilominus re-  
missio culpa non esset attribuenda martyrio, sed  
contritioni incedenti votum baptismi aquae: quia  
martyrium ipsum nec per se habet meritum, nisi sit  
in supposito grato: nec ex privilegio habet aliquid  
ultra meritum operantis: ergo, si in aliquo casu non  
habet vim ad remittendam culpam absque contri-  
tione, non potest hic effectus vere illi attribui, neque  
quod suppleat vicem baptismi aquae.

Vnde etiam excluditur alia euasio, si quis dicat,  
martyrium solum dici supplere vicem baptismi aquae,  
quia cum contritione coniunctum perficit integrum  
effectum baptismi, quoad remissionem omnis cul-  
pa & poenae. Sed hoc etiam non fatiscit: primo,  
quia in re nihil aliud dicitur, quam martyrium sup-  
plere vicem baptismi, quoad remissionem poenae  
temporalium: cum tamen Sancti dicant sup-  
plere vicem eius, etiam quoad remissionem culpa.  
Secundo, quia (vt supra argumentabamur) si mar-  
tyrium supplet vicem baptismi, quoad hunc  
effectum remittendi omnem poenam, necesse est, vt  
hoc non attribuatur solum merito vel satisfactio-  
ne operantis, sed alicui privilegio seu promissioni diuinae:  
quia alias non erit infallibilis: ergo, si semel talis pro-  
missio seu privilegium admittitur, cum non habeat  
fundamentum, nisi, vel in traditione Ecclesiae & San-  
ctorum, vel in verbis Scripturae, prout exponuntur  
à Patribus, admittendum est non solum in remissio-  
ne poenae, sed etiam in remissione culpa, & in colla-  
tione gratiae: nam verba Christi generalia sunt, & hec  
omnia includit, Qui perdidit animam suam propter  
me, saluam faciet eam, Marci 8. vel, viuificabit  
eam, vt clarius dicitur Luca 15. Verba item & expo-  
sitiones Sanctorum amplissima sunt, & sepe expre-  
sse extenduntur ad omnes hos effectus: vltus etiam &  
traditio Ecclesiae, non solum ostendit certitudinem  
in integra remissione poenae, sed etiam de ipsa iusti-  
ficatione, & remissione culpa: Tandem in parulis  
declarat, martyrium habere vim dandi gratiam  
praeter meritum operantis: quo ergo fundamento  
dicemus, hanc promissionem esse limitatam ad par-  
tiales, & non extendi ad adultos?

Ex hac ergo parte sic demonstrata, necessario se-  
quitur altera conclusio pars, nempe, per marty-  
rium dari gratiam homini attrito, si bona fides in-  
tercedat: quia si martyrium non semper requirit ve-  
ram & realem contritionem, neque amorem Dei su-  
per omnia, vt gratiam conferat, & peccatum tollat:  
ergo aliquando potest hoc facere cum minori dispo-  
sitione: sed seclusa contritione & amore nulla est me-  
lior dispositio, quam vera attritio, excludens omne  
actuale peccatum & affectum peccati: ergo haec ali-  
quando sufficit. Confirmatur primo, quia marty-  
rium ex privilegio habet promissionem gratiae ultra  
meritum operantis, vt ostensum est: ergo semper  
dat illam non ponenti obiectionem: omne enim opus,  
quod habet virtutem dandi gratiam ex se, praeter  
meritum operantis, semper dat illam, quando non  
ponitur obex: & ideo omnia sacramenta dant gra-  
tiam non ponenti obiectionem: sed qui est attritus, & alio-  
qui habet bonam fidem, non ponit obiectionem: quia iam  
habet voluntatem sufficienter à peccato auersam, &  
ideo omnia sacramenta faciunt ex attrito, contri-  
tione, interueniente bona fide: ergo idem faciet mar-  
tyrium. Confirmatur secundo: quia baptismus san-  
guinis non est minus efficax, quam baptismus aquae,  
vt supra ex Cypriano referebamus: sed baptismus  
aquae confert gratiam attrito: ergo idem poterit

facere baptismus sanguinis. Vnde, sicut Cyprianus  
argumentatur: si baptismus sanguinis non potest  
haeretico prodesse, nec baptismus aquae posse: ita  
nos possumus argumentari, si baptismus sanguinis  
non posset peccatori attrito prodesse, nec bap-  
tismus aquae posse, & à contradictorio consequentis:  
si baptismus aquae potest prodesse attrito, multo  
magis baptismus sanguinis.

Dixi, debere bonam fidem intercedere: quia, cum  
dictum sit, perse esse necessariam contritionem, vt  
homo non peccet se praeparando per solam attritio-  
nem, necesse est, vt ab illa obligatione aliqua ratione  
excusetur: non potest autem excusari propter impo-  
tentiam simpliciter, quia semper est in potestate ho-  
minis habere contritionem per diuinam gratiam:  
ergo oportet, vt excusetur propter ignorantiam  
probabilem iuris, aut facti, id est, quod probabiliter  
existimet, eam dispositionem, quam habet, esse con-  
tritionem, cum reuera non sit, aut quod probabili-  
ter existimet, se non teneri ad habendam meliorem  
dispositionem, vel saltem omnino non aduertat se  
ad hoc obligari.

Sed obieciens similem rationem illi, qua nos con-  
clusionem probauimus: nam baptismus aquae non  
requirit hanc fidem, seu existimationem, vt conferat  
suum effectum: sed dat gratiam homini attrito, cogno-  
scenti & aduertenti se tantum esse attriti: ergo idem  
faciet baptismus sanguinis, cum sit efficacior. Respon-  
detur primo, esse differentiam in hoc, quod bap-  
tismus sanguinis semper constituit hominem in mortis  
articulo, baptismus autem aquae non ita: si autem  
loquamur de homine, qui in mortis articulo bap-  
tizatur, probabile est teneri tunc ad habendam contri-  
tionem, non quia sit necessaria dispositio ad bap-  
tismus, sed quia est necessaria dispositio ad mortem,  
vel propter obligationem charitatis (vt dicebam)  
quia etiam non est omnino indubitata & certa,  
baptismus facere ex attrito contritum, praesertim  
quando attritio est cognita: in negotio autem, ex  
quo pender aeterna salus, videtur homo teneri ad eli-  
gendum medium, quod sit omnino certum & securum  
secundum Catholicam fidem, saltem quantum in ipso  
est, vel certe oritur haec obligatio per se ex praeceto  
contritionis, cuius obligatio non est omnino extin-  
cta in noua lege. Vnde saltem videtur obligare in ar-  
ticulo mortis, aut saltem tunc obligat praecceptum  
diligendi Deum super omnia, vt latius dicitur infra  
in materia de poenitentia. Secundo dici potest, esse  
differentiam inter baptismus sanguinis, & bap-  
tismus aquae: nam baptismus aquae est per se institutus  
ad delendum peccatum, & dandam primam gra-  
tiam: & ideo ex propria ratione non requirit contri-  
tionem ante suum effectum, vel ad vsum dignum  
talis sacramenti: at vero baptismus sanguinis, licet  
excellenter sit, & efficacior: non tamen est ordina-  
tus ad talem effectum, sed solum est quidam excel-  
lens actus virtutis, cui ex diuina liberalitate adiu-  
cta est promissio plurimum effectuum gratiae & glo-  
riae: praeter id, quod ex condigno respondet merito  
operantis: haec autem promissio non tollit obliga-  
tionem conuenienti modo operandi talem actum,  
& se praeparandi ad mortem, quae in illo includitur:  
& ideo non est similis ratio de vtroque baptismo,  
neque contra efficaciam & dignitatem baptismi san-  
guinis, vt ex dictis constat.

Ex quo vltius infero, iuxta hanc nostram sen-  
tentiam consequenter dicendum esse, per martyrium  
semper conferri aliquam gratiam gratum facientem,  
vel eius augmentum, ultra id, quod responderet meri-  
to patientis, quae largo modo dici potest ex opere o-  
perato, quamquam hoc negare videtur Sorod. 3. art.  
ii. prope finem, id tamen nobiscum affirmat Palud.  
d. 4. q. 3. Et in primis, quod martyrium, quando facit  
ex attrito contritum, id faciat ad modum operis o-  
perati, probatur, quia illa gratia non debebatur dis-  
positioni

Cyprianus.

Obiectio.

Responso.  
Quo modo  
differat bap-  
tismus a-  
quae & san-  
guinis, quod  
ostendit ad  
dispositionem  
per acquisi-  
tionem.

Per marty-  
rium semper  
conferuntur  
gratiae gra-  
tium facientis  
vel eius aug-  
mentum, quae  
ex opere o-  
perato.

Palud.

positioni operantis, quia solum contritio, vel dilectio Dei super omnia, quæ virtute illam includat, est per se sufficiens dispositio ad gratiam, de quo plura in conclusione sequente. Hinc ergo ulterius recte colligitur, quod, si homo accedit ad martyrium recte dispositus & in gratia, ultra id, quod de condigno meretur, recipit augmentum aliquod gratiæ ex speciali privilegio martyrij. Primo quidem, quia non est verisimile esse peioris conditionis eum, qui iustior est, & melius se ad martyrium disponit, quam qui se disponit per attritionem: sed ei, qui accedit, cum imperfecta dispositione attritionis, datur gratia ex privilegio: ergo multo magis dabitur ei, qui accedit cum perfecta dispositione contritionis. Quod optime declarat & confirmatur exemplum paruulorum: nam si inter Innocentes, verbi gratia, fuerunt aliqui nondum circumcisi, illis data est gratia, ratione martyrij: ergo etiam illis, qui iam erant circumcisi, dari fuerunt, ut minimum, totidem gradus gratiæ: quamuis his dari sint per modum augmenti, alijs vero per modum primæ gratiæ: quis enim dicat, illos priuatos esse fructu martyrij propter acceptam circumcisionem? Atque idem argumentum fieri potest de infante baptizato, qui propter Christum occiditur: idem ergo erit in adultis: nam est eadem, vel maior ratio: Eo vel maxime, quod gratia martyrum, ut sic, quantum ex sensu Ecclesiæ & traditione colligi potest, est longe maior, quam illa, quæ dari potest propter vnum actum contritionis: venerunt enim Ecclesia, ut egregie sanctum, hominem nuper conuersum ad fidem, & statim absque alijs præcedentibus meritis suo sanguine baptizatum, iudicans, maiorem esse illam gratiam, quæ martyrio respondet, quam quæ posset per multa merita longo tempore comparari: ergo non est priuandus tanto gratiæ augmento, eo quod ad martyrium accedat cum prima gratia remissa, per vnum actum contritionis comparata.

Et confirmatur: nam omnia alia media, per quæ homini attrito datur prima gratia, conferunt augmentum gratiæ homini contrito seu grato, ut constat de baptismo & confessione: ergo multo magis idem est dicendum de martyrio. Ratio autem à priori est, quia promissio facta martyrio non est specialiter facta in fauorem hominum peccatorum, neque in remedium peccati, sed facta est in fauorem operis excellentissimi, in quo diuina charitas maxime inter opera externa manifestatur: ergo hæc promissio non solum ad homines iustos se extendit, (& ideo, sicut eis remittit omnem venialem culpam, & reatum temporalis pœnitentiæ etiam, quali ex opere operato confert magnum cumulum gratiæ) verum etiam propter ipsos iustos præcipue ac principaliter facta est: quia eorum charitas est maior: extenditur tamen etiam ad peccatores non ponentes obicem: quia promissio intelligitur absolute facta ipsi operi propter excellentiam suam: est autem generalis lex, ut gratia, quæ datur ex vi alicuius operis, infallibiliter detur homini non ponenti obicem: ergo non solum est magis consequens, dari per martyrium huiusmodi augmentum gratiæ homini iusto, si datur prima gratia homini attrito, sed etiam illud videtur per se certius, seu verisimilius, neque video nouam difficultatem, quæ contra hoc obijci possit, præter eas, quæ, referendo alias sententias, tactæ sunt.

3. *Conclusio.* Dico tertio, Probabile est, quamuis per se sit necessaria formalis poenitentia peccatorum ante baptismum sanguinis: tamen, si ex accidenti cõtingat, hominẽ excusari à culpa omisionis huiusmodi poenitentia propter naturalem inaduertentiam, & obliuionem peccatorum, solum voluntatem moriendi pro Christo esse sufficientem dispositionem ad obtinendam veniam peccatorum, & gratiam ex privilegio martyrij. Hanc conclusionem non ponunt expresse antiqui doctores supra citati pro nostra sententia: insinuant tamen, & præsertim D. Thomas,

*Probabile est voluntatem tantum martyrij ex accidenti sufficere ad obtinendam gratiam, &c.*

*D. Thom.*

qui nullam aliam dispositionem requirit, nisi quod homo pro Christo moriatur absque actuali complacentia peccati, & multum fauet Caietanus circa illam solutionem ad secundum, art. 1. qu. 77. dicens, Si quis iuit dormitum cum proposito dicendi mane mendacium officiosum, & interim dormiens occideretur pro Christo, illius peccati plenissimam remissionem consequitur, quamuis per baptismum, illius remissionem non consequeretur. Vbi de peccato quidem venialis loquitur: tamẽ videtur esse eadem ratio de mortali, si tamen debita proportio seruetur, scilicet, quod non maneat virtualiter, sed tantum habitualiter propositum mortaliter peccandi, ut inferius magis explicabimus. In hoc etiam fauet Caietanus, quod maiorem vim agnoscit in martyrio ad remittendam culpam, quam in baptismo. Expressius hæc conclusionem docent Soto & Vega locis supra citatis. Duobus autem modis potest hæc conclusio fundari. Primo, in ipsa rei natura. Et hunc modum videtur sequi Soto supra, dum inquit, Martyrium non supplere vicem baptismi ex opere operato, sed per modum meriti: neque in hoc differre à baptismo flammis, sed in hoc solum, quod non requirit formalem detestationem peccatorum, sed hunc solum actum: volo mortẽ pro Christo perpeti. Vnde sic potest formari ratio ex eodem autore. Nã volitio mortis pro Christo, pro summa reputatur charitatis excellentia, iuxta illud Ioan. 15. Maiorem charitatẽ nemo habet, quã ut animã suam ponat quis pro amicis suis: sed qui diligit Deum, diligitur à Deo: ergo illa voluntas moriendi pro Christo est sufficiens dispositio ad gratiam, & ad remissionem culpæ. Et confirmatur, ac declaratur: nã illa voluntas est virtualis dilectio Dei super omnia: ergo est etiam virtualis detestatio omnium peccatorum, ergo est ex se sufficiens dispositio. Consequenter probatur, nam, ut suppono ex dicendis infra in materia de poenitentia, licet hi actus amoris & detestationis per se requirantur formaliter ad remissionem peccati, tamen interdum possunt sufficere virtualiter, interueniente ignorantia, vel inaduertentia. Primum autem antecedens probatur: quia huiusmodi homo propter Deum contemnit id, quod maxime diligit inter bona creata, scilicet, vitam: ergo opere ipso & implicite diligit Deum plus, quam alia bona: cumque id faciat propter fidem & religionem, seu cultum Dei, totum cedit in gloriam eius: ergo merito tale opus potest dici virtualis amor Dei: sicut qui beneficus est ergo proximum, aut vult pati aliquid propter commodum eius, recte dicitur amare proximum, sicut seipsum. Et propter hanc etiam rationem, qui sic pro Christo moritur, non potest dici, omnino sine charitate tradere corpus suum: quia illud tradit ex quadam virtuali charitate actuali, per quam se disponit ad formalem charitatem habitualemente consequendam. Atque hinc probata etiam relinquuntur prior consequentia, scilicet, quod ille actus sit virtualis detestatio peccatorum: tum quia in dilectione super omnia includitur hæc virtualis detestatio: tum etiam, quia illa voluntas talis est, ut repugnet cum voluntate peccandi: atque ita sit quoddam virtuale odium peccati: nam, qui vitam perdit, ne Deum offendat, satis ostendit, odisse offensam Dei, quatenus talis est.

Veruntamen, quamuis hæc ratio sit accommodata ad explicandam congruentiam, quæ in tali opere & voluntate esse potuit, ut Deus illam acceptaret, tanquam sufficientem dispositionem ad condonandam culpam in ipso opere martyrij: non tamen est sufficiens hæc ratio, secluso omni privilegio speciali. Primo, quia si illa voluntas ex natura sua esset sufficiens dispositio, per illam obtineret homo gratiam & remissionem peccati absque externo opere martyrij: consequens autem est, & contra D. Thomam supra, qui supponit hominẽ in statu peccati dormientem interfici pro Christo, quem constat, non prius fuisse iustum.

injustitiam per voluntatem martyrij, quam antea habuit: alioqui iam non esset dormiens in peccato: & contra ipsum Soto, qui non ausus est dicere, hunc solum actum volo mortem pro Christo perpeti, esse sufficientem dispositionem, sed illum cum ipso exteriori opere sufficere ad plenissimam indulgentiam omnium peccatorum. Est etiam contra rationem. Quis enim credat, omnem hominem, qui de martyrio cogitat, & ad illud ex corde afficitur, quantumque in se est, efficaciter proponit, in illo constanter se gerere, si eius occasio occurrat, aut etiam talem occasionem appetit & desiderat, hoc ipso statim iustificari: & quamvis multa mortalia peccata commiserit, statim omnium remissionem consequi, etiam si nullum alium actum charitatis, vel penitentiae habeat? Sane hoc non videtur probabile, nec consentaneum Scripturis, postulantiibus penitentiam seu dilectionem ad remissionem peccati, à quibus non potest fieri exceptio sine sufficiente fundamento in eadem Scriptura, vel traditione Patrum, aut manifesta ratione: hic autem nullum est tale fundamentum. Patres enim solent excipere martyrium ab huiusmodi regulis: illa autem voluntas non est martyrium, sed dici potest votum, vel desiderium martyrij: & Christus Dominus, non de voluntate, sed de opere ipso dixit. Qui me confessus fuerit, & Qui tradiderit animam suam propter me: & ita Sancti interpretantur hanc promissionem factam esse ipsi operi & morti propter specialem conformitatem ad Christum, ut in parulis manifestum videre licet. Præterea ratio supra facta est insufficientis: nā in rigore voluntas dandi vitam pro alio nō est virtualis dilectio illius super omnia: tum quia non est necesse vitam corporalem diligi super omnia bona creata: multi n. plus amant honorem, vel perpetuam famam, vel patriam, aut alia bona similia: tum etiam quia, qui perdit vitam propter amicum, & propter salutem spirituales proximi, non amat proximum super omnia: quia non refert se, & omnia sua in ipsum, tanquam in ultimum finem: sic ergo posset quis perdere vitam propter Christum, non amando illum, ut ultimum finem, vel formaliter, vel virtualiter, sed solum ut obiectum, cui offert cultum, seu honorem. Et simili modo non includitur in rigore in illa voluntate virtualis derelictio peccatorum omnium: nam potest homo ita odisse heresim, vel infidelitatem, ut sit paratus ad dandam vitam, ne in illam consentiat, & nihilominus esse in actuali proposito furandi, vel committendi aliud simile peccatum: ergo signum est, illam voluntatem non excludere omnino affectum peccati: non ergo continet virtuale odium omnium peccati.

Secundo igitur, præter congruentiam adductam, fundanda est hæc conclusio in speciali privilegio & promissione Christi facta martyrio: est enim absoluta & universalis, Quicumque perdidit animam suam propter me, vivificabit eam, Luc. 12. aut, saluam faciet eam, Marci 8. & eodem modo loquuntur Sancti: & faveat Ecclesie consuetudo, quæ, ut martyrem veneretur, nullum aliud experimentum aut penitentiam explorat, præter hoc, quod pro Christo passus sit. Dices, hoc signo probaretur, martyrium conferre gratiam, etiam si inveniatur hominem in actuali complicitate peccati, quia de hoc etiam nihil Ecclesia inquiri, ut martyrem veneretur. Quocirca ad illas generales promissiones seu locutiones facile responderi potest: intelligendas esse, si homo nō ponat obicem peccati mortalis nunquam detestati: sicut explicatur in sacramentis, in quibus certior est hæc promissio. Respondetur, his & similibus rationibus recte ostendi prædictam conclusionem non esse certam, sed satis dubiam: quia reuera non potest hoc privilegium cum tota hac amplitudine efficacibus argumentis ostendi. Non tamen excludit obiectio facta, quin coniecturæ adductæ probabiles sint: nam

in primis non est par ratio de actuali peccato, & de actuali penitentia præcedentium peccatorum: non est enim verisimile, imo vix est moraliter possibile, ut is, qui patitur martyrium, tunc sit in actuali affectu peccati, præsertim, quando exterius nullum signum præbet talis affectus: neque aliquid facit, quod merito possit malum iudicari. & ideo ipsum martyrium sic susceptum potest esse Ecclesie sufficiens iudicium ac certum testimonium, quantum moraliter esse potest, quod martyr non decesserit in actuali affectu peccati. At vero bene potest moraliter contingere, ut homo, qui patitur martyrium, totus occupetur in confessione fidei exhibenda, & tunc actu non aduertat ad præterita peccata, & eorum dolorem: & ideo solum martyrium non est sufficiens signum actualis & formalis penitentiae: præsertim quando exterius neque voce, neque alio actu exhibetur aliquod signum talis penitentiae, aut formalis conversionis: ergo, cum Ecclesia contenta sit martyrio, non obstantibus præcedentibus peccatis, abique alio signo vel testimonio maioris penitentiae, signum est, illam non esse simpliciter necessariam. Deinde, moraliter loquendo, ille homo non ponit obicem gratiæ: quia non est in actuali peccato, & illa voluntas coniuncta operi in tali articulo merito reputatur sufficiens ad tollendum hunc obicem: quia in primis est valde verisimile, quod ille homo in eo articulo positus, si recordaretur peccatorum, statim detestaretur illa ex vi illius voluntatis, quam habet moriendi pro Christo: & similiter in eodem tempore & articulo eadem constantia evitaret omne peccatum mortale: cum iam actualiter voluntarie perdat vitam, ne Christum offendat. Denique non est dubium, quin potuerit Deus hanc voluntatem acceptare, ut sufficientem dispositionem, cum ipso opere externo & reali conformitate ad Christum: & aliunde constat, aliquod privilegium concessisse tali operi: & in illo, cum voluntate sibi intrinseca, esse sufficiens morale fundamentum, ut ex privilegio acceptetur, tanquam sufficiens dispositio ad gratiam. Atque hæc videtur esse tota probabilitas huius sententiae.

Male ergo Soto totum hunc effectum tribuit merito operantis, primo quidem, quia offensum est, solum voluntatem ad hoc nō sufficere sine opere externo: opus autem externum non auget meritum, quod est ex parte operantis, ut suppono: ergo. Secundo, quia, aut Soto loquitur de merito de condigno, aut de congruo: priori sensu loqui non potest iuxta sanam doctrinam: agimus enim de effectu primæ gratiæ, & de remissione peccati mortalis, quoad culpam: certum est autem, neminem posse hæc sibi de condigno mereri, etiam per martyrium: quia omne meritum de condigno supponit personam gratam, & à peccato immunem: posteriori autem sensu, scilicet, quoad meritum de congruo: in primis pugnat illa sententia cum doctrina eiusdem authoris negantis huiusmodi meritum de congruo, ut ordine naturæ antecedens infusionem primæ gratiæ, & remissionem peccati. Deinde, licet hoc meritum admittatur, in dispositione ultima, & perfecta, tamen in dispositione ex se imperfecta, quamvis lato modo possit admitti, tamen reuera non esset sufficiens, nisi adiungeretur promissio specialis, quam vocamus speciale privilegium: cuius etiam signum est, quod non est facta promissio soli interiori voluntati, sed operi etiam externo. Unde fieri potest tertium argumentum, quia parulis datur gratia, ratione martyrij, & tamen in eis nullum potest fingi meritum: ergo etiam in adultis potest habere effectum supra meritum operantis, sicut etiam eis remittit totam poenam, vitra personalem eorum satisfactionem.

Ad fundamenta primæ opinionis, ad primū ex testimonio Pauli, si tradidero corpus meū, &c. dicitur primo

Ad fundam.  
mæ primæ  
opinionis.

*Chrysof.  
Theophyl.*

primo ex Chrysofomo & Theophylacto, sermonem Pauli non esse absolutum, sed conditionalem: non enim affirmat, posse aliquem pro Christo mortem pati, & sine charitate manere, sed solum ex hypothesi ait, si per possibile vel impossibile id accideret, talem mortem nihil prodesse: quod verissimum est: quia sine charitate nihil sumus: cum hoc tamen stat, vt nunquam talis mors pro Christo sit sine charitate: & ideo non sit infructifera. Secundo dicitur, Paulum non dicere, si tradidero corpus meum propter Christum, sed absolute: si tradidero, charitatem autem non habuero: ait autem D. Tho. ibi, tunc tradit corpus absque charitate, quando vel cū tali opere ad est voluntas peccandi mortaliter, vel quādo sit propter inanem gloriam: significans, quādo quis tradit vitam propter fidem, vel religionem, vel honorem Christi, licet id non faciat ex præsupposito habitu charitatis: neq; ex formali & actuali Dei dilectione, non posse omnino dici id facere absque charitate: quia ipso opere aliquo modo exhibet dilectionem Christi, vt supra tactum est. Vnde dicitur tertio, duobus modis intelligi posse, aliquem tradere corpus suum absque charitate: vno modo, absque charitate antecedente, quæ sit aliquo modo causa operis, vel simpliciter, vel in esse meriti, vel consequente, ita vt ex tali opere non sequatur charitas in operante, neq; illud antecedit. Rursus duobus etiam modis intelligi potest, tradere corpus absque charitate, nihil prodesse, scilicet, aut meritorie ex proprio merito operantis, vel nullo prorsus modo: tradere igitur corpus suum tali modo, qui nec sit ex charitate, neq; habeat charitatem adiunctam, & quasi consequentem opus ipsum, saltem in termino operis, est prorsus infructuosum, & inutile, & ita potest recte Paulus intelligi: similiter tradere corpus suum absque charitate, aliquo modo antecedente opus ipsum, & operante vel dignificante illud, est infructuosum, quantum ad proprium meritum operantis, & ita etiam potest exponi Paulus, vt D. Th. & Caietanus sibi significant: & quoad hoc est eadē ratio de martyrio & de elemosyna, & neuter sensus repugnat his, quæ hactenus diximus: at vero tradere corpus suum absque charitate antecedente, cum illa tamen consequente, seu in ipso opere comparata, non est omni modo inutile, sed valde vtile: quia non est omnino sine charitate, atq; ita contingit in martyrio, de quo hactenus locuti sumus: nam, licet charitatem non supponat, secum tamen illam trahit: & ideo multum prodest. Vt si diceremus, si de peccatis doleam, eaq; conitear, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest: absolute loquendo verissime dictum est: quia eo modo, quō illam non habeo, illa actio mihi non prodest: vnde, si neq; antecedentem, neq; consequentem charitatem habeam, nihil omnino proderit illa confessio: si tamē non habeam charitatem antecedentem ipsam confessionem, tamen per confessionem illam obtineam, multū proderit illa confessio: quia non omnino est sine charitate: sic ergo nos dicimus de martyrio, neq; ex loco Pauli colligi potest, nunquam tale esse martyrium, quod, licet ex charitate non procedat, secum tamen illam non afferat, nec D. Tho. huic doctrinæ vel expositioni repugnat, quam alijs locis tam aperte docuit. Quod ergo ait, in baptismo sanguinis Spiritum sanctum operari per potissimum dilectionis actum, ideo dictum est, quia ipsum martyrium ex se videtur maximum opus, quod potest charitas imperare: propter quam causam, inter alias, Spiritus sanctus voluit in eo opere specialiter operari, & gratiam, atque indulgentiam concedere. Et similiter, quod ait: baptismum sanguinis includere baptismum flammis, intelligendum est ratione charitatis habitualis, quam secum affert, & ratione formalis, aut virtualis propositi implendi omnia præcepta, quod includitur in attritione, præsertim informata charitate.

*Ad secun-  
dum.*

Ad secundum argumentum respondetur, in hoc

*Varia expo-  
sitiones loci  
illius Pauli  
2. Corint. 13.  
si tradidero,  
Ec.  
D. Thom.*

*D. Thom.  
Caiet.*

esse posse aliquam convenientiam inter baptismum aquæ & sanguinis: quod in vtroque dari potest gratia Spiritus sancti vltra meritum operantis: neque hoc nunquam negavit D. Thomas: possunt tamen in hoc differre, quod in baptismo aquæ non solum datur gratia, sed etiam ipsemet operatur illam, & ideo dicitur operari per virtutem latentem Spiritus sancti: in martyrio vero, licet detur gratia, non oportet, vt ipsa passio illam efficiat: quia non est ad hoc instituta, nec ibi operatur homo, vt minister Dei: & ideo non dicitur opus illud operari per virtutem latentem Spiritus sancti, sed solum dicitur ibi Spiritus sanctus operari ex speciali privilegio.

Vnde ad tertium respondetur, esse posse questionem de nomine, an sit dicendum martyrium dare gratiam ex opere operato: nam, si per hanc loquendi formam intelligatur, opus ipsum martyrij conferre gratiam, tanquam propriam, & per se causam illius, sic non est necesse, id concedere: si autem solum significetur, posito illo opere, Spiritum sanctum dare specialem gratiam absque merito, vel vltra meritum patientis, sic nullum est inconueniens, id concedere. Ad primam autem probationem in contrarium negatur, inde sequi martyrium esse sacramentum, quamuis id male concedat Maior in 4. d. 4. q. 3. nam ad rationem sacramenti non satis est, quod sit opus externum, in quo detur gratia: sed in primis oportet, vt sit ceremonia sacra, vt supra dictum est: deinde oportet, vt sit instituta ad significandū: neutrum autem horum conuenit martyrio, quod ex parte tyranni est actio praua: præter Dei ordinationem & institutionem, sed solum ex permissione: ex parte autem martyris tantum est quidam actus virtutis, cui Deus voluit hunc effectum & privilegium concedere. Ad secundam vero rationem, in qua petitur, quando inceperit hoc privilegium martyrij, videri quidem potest incepisse a Christi aduentu: nam sancti illud fundant in eius verbis, & promissione, & in conformitate ad mortem eius, quæ ante propriam non erat. Ac deniq; quia ante Christi aduentum non dabatur gratia ad modum operis operati, nisi in sacramento paruulorum, veluti ob necessitatem extremam. In contrarium autem sunt argumenta non parua. Primum de martyrio Innocentium, q. habuit hunc effectum ante Christi mortem: & ante verba & promissionem eius: & ideo non refert, quod non fuerit ante Incarnationem, quia Incarnatio non potuit esse initium huius privilegij, nisi media aliqua actione vel promissione Christi, quæ nondum tunc præcesserat: signum ergo est, non fuisse tunc inchoatū hoc privilegium. Secundum argumentum sumi potest ex martyrio Machabeorum, & alijs antiquioribus, quæ non minus exaggerantur a Sanctis, vt videri licet in Cypriano libro de exhortatione martyrij, cap. 11. & Gregorio Nazianzeno orat. 22. quæ est de Machabeis, Quos, dicit, fuisse Christi passioni conformes, & in hunc illius consecutos esse iustitiam, & effectos niue cædiores, quo verbo significat remissionem totius culpæ & pœnæ. Vnde Tertull. in Scorpiaco, c. 8. Habes, inquit, hic & prædicationem, & remunerationem martyrij. Videtur ergo hæc pars consentanea sanctis Patribus. Præterea videtur consentanea diuinæ providentie: nam hoc privilegium non est concessum martyrio per modū sacramenti, sed per modū excellentissimi actus virtutis, & propter maximam cum Christo conformitatem: quæ duæ rationes semper repertæ sunt in martyrio: nam etiam ante Christi aduentum erat maximum opus, & quodammodo magis laudabile: tum quia eo tempore erant pauciora exempla tantæ fortitudinis, tum etiam, quia erat fides obscurior, & minor diuinæ gratiæ communicatio: erat etiam conformitas cum Christo fide credito, & præsertim apud Deum, cui omnia sunt præsentia. Est ergo hæc sententia & pia & probabilis.

babilis, quamvis nihil temere asserendum sit, cum antiqui nihil de hac re clare docuerint: illa tamen differentia indubitata est, quod martyr in ante Christi mortem aperiatur ianua regni, sicut nunc aperitur, quia nec poterat totius naturae impedimentum auferre, nec supponebat ablatum, sicut nunc est per Christi mortem.

In tertia parte illius argumenti petitur, quo tempore vel momento detur gratia homini non habenti illam & patienti martyrium. Quae difficultas non tantum procedit circa ea, quae hic dicta sunt, sed etiam circa ea, quae in sectione prima diximus: nam eadem difficultas locum habet in martyrio Innocentium. Primus ergo dicendi modus esse potest, dari gratiam in instanti mortis, quod est primum non esse hominis: quia tunc martyrium consummatur. Huius sententiae fauor Caietanus 2. 2. quaest. 124. art. 4. circa solutionem ad quartum: ubi concedit, martyrem in instanti mori, in quo primo non est: nam si hoc est verum, necesse est fieri illud instans intrinsece perire ad viam, saltem tanquam terminum eius, quia homo mereri non potest, nisi in via: ergo eadem ratione potuit in illo instanti iustificari, etiam si prius gratiam non habuerit, si in eo instanti consummetur medium sufficiens ad iustitiam, quale est martyrium, sicut alij, id ipsum concedunt in Baptismo aquae, si contingat in eodem instanti consummari, ut Almainus tract. 2. moral. cap. 2. Haec vero sententia mihi non placet, quia non est consentanea alijs principijs Theologiae, ut supra tetigi, tractando de sacramentis in genere. Et praeterea, quia falsum est, illud instans perire intrinsece ad statum vitae, si in illo iam anima non est unita corpori, quia si tunc nullum habet impedimentum, ut contingit in martyre, statim in eodem instanti videt Deum: ergo non habet fidem, ergo non est in via, quia solum, quamdiu sumus in corpore, peregrinamur à Domino: per fidem enim ambulamus. Si autem in eo instanti iam anima non est in via, non potest in ea mutari status, quem immediate antea habuit in corpore: quia talis status viae datus est ad gratiam comparandam. Vbi autem ceciderit lignum, ibi erit, siue ad Austrum, siue ad Aquilonem. Est ergo parum consentaneum principijs fidei, dicere, posse hominem, qui in toto tempore huius vitae duravit in statu peccati mortalis, saluari in primo sui non esse: aut eum, qui nunquam habuit fidem in hac vita, neque actualem, neque habituales posse in instanti mortis inclipere Deum videre, quod saltem de infantibus: qui nunc martyrio afficiuntur, necessario fatendum esset. Vnde ad Caietanum, negatur instans mortis esse sufficiens ad meritum martyris, si in illo instanti iam non est: quia nullum est meritum in pura creatura, nisi fundatum in fide: tunc autem iam non est fides. Item, quia in illo instanti iam non potest esse demeritum, ex vi status: neque enim fieri potest, ut in eo instanti aliquis perdat gratiam, quam immediate antea habebat: status autem merendi non plus durat, quam status demerendi. Ad Almainum vero dicitur, eius sententiam esse falsam: de qua satis dictum est supra de sacramentis in genere. Secundus modus dicendi esse potest, dari gratiam martyri in instanti mortis, tamen illud non esse primum non esse hominis, sed ultimum esse illius. Quae sententia est quidem accommodata ad saluanda omnia principia Theologiae: quia iuxta illam animam in eo instanti adhuc est corpori mortali unita, adhuc ergo est in via, & nondum est capax visionis, sed fidei: & ideo recte potest tum denuo iustificari: ergo cum martyrium tunc consummetur, verisimile est tunc habere effectum. Verum haec sententia supponit principium philosophicum paucis probatum: nam fere omnes sentiunt, res permanentes desinere per primum non esse, quod modo disputandum non est, neque negandum, ad tuendam sententiam Theologicam, quam

Franc. Suarez Tom. 3.

defendimus: nam quomocumque homo deſinat eſſe, potuit Deus hanc gratiam concedere martyribus; adhuc in corpore viventibus. Data ergo hypotheti, quod homo deſinat per primum non eſſe, dicendum eſt dari gratiam martyri, in aliquo priori inſtanti, inter quod, & inſtans mortis necelle eſt, ut aliquod breue tempus intercedat. Nec refert, quod in eo inſtanti nondum ſit vita conſummata: nam ſatis eſt, quod per vulnera lethalia, aut aliud genus paſſionis, iam licet homo in eo ſtatu conſtitutus, in quo iam eſt mors naturaliter ineuitabilis, nam tunc iam apud Deum eſt completum, & acceptum martyrium: & hanc ſententiam ſequitur Vega libr. 6. in Tridentinum, cap. 37. neque videtur difficultatem habere alicuius momenti. Niſi quis forte dicat, in quocumque tempore huius vitae poſſe hominem peccare: ergo poſſet martyr in eo breui tempore peccare, & gratiam perdere: & ita damnari poſt obtentam gratiam martyrij, quod videtur valde alienum à ſenſu omnium Patrum. Reſpondetur tamen ſimpliciter negando ſequelam: primo quidem, quia licet homo poſſit peccare in hac vita, quamdiu poſſet uti ratione, & libero arbitrio, verisimile tamen eſt, ſeculis miraculis, ſemper eſſe aliquod breue tempus ante mortem, in quo iam ita eſt homo viribus corporis deſtitutus, aut ſenſibus impeditus, ut iam non poſſit ratione, aut libertate uti: ex hac igitur parte fieri poſſet, ut iam martyr peccare non poſſit, quando illi gratia conſertur. Secundo, quia etiam ſi homo poſſet uti ratione, & libertate uſque ad inſtans mortis, verisimile eſt, per gratiam martyrij in eadem gratia confirmari, ita ut vel peccare non poſſit, vel inſalubriter amplius non peccet: quod perinde eſt, quantum ſpectat ad effectum gloriae conſequendae. Dices ergo, ſi talis homo aliqua via mortem euaderet, maneret confirmatus in gratia toto tempore vitae. Reſpondetur, caſum eſſe naturaliter impoſſibilem: quia ſupponimus, gratiam non dari, donec mors eſt naturaliter ineuitabilis. Si autem miraculoſe Deus vellet hominem conſeruare, poſtquam ad illum ſtatum peruenerit, dici poſſet, tunc non dari illi homini effectum martyrij: quia Deus prouidet non fore martyrium in illo homine conſummandum. Quod tamen mihi non admodum placet, tum quia non eſt mihi verisimile, Deum priuare hominem effectum gratiae ſuae propter miraculum, quod in eo uult operari: tum etiam, quia non eſt, cur dicamus de ratione martyrij eſſe, ut mors nullo modo impediatur, & non ſatis eſſe, pati uſque ad mortem naturaliter ineuitabilem: nam per huiusmodi paſſionem & quale teſtimonium redditur, quod ſi miraculum intercedat, ad augeſ teſtimonium, non minuit. Virtutes etiam fidei, fortitudinis, & aliae aequaliter exercentur. Concedo ergo, tunc etiam dari gratiam homini ratione illius paſſionis, & confirmari in illa, ſaltem pro ea occasione aut pro eo tempore, quo naturaliter poſſet uiuere. An vero pro reliquo vitae tempore maneret etiam in gratia confirmatus, incerta res eſt: nam cum hoc ſit praeter legem, non videtur comprehenſum ſub communi priuilegio martyrij: nihilominus tamen pie credi poſſet, nunquam Deum eſſe miraculoſe liberatum, um martyrem ab huiusmodi morte, quin illum in gratia confirmet: quia & hoc donum eſt valde conſentaneum dignitati martyrij: & quia cum Deus tunc miraculoſe reuocet (ut ſic dicam) illum hominem à paradifi ianua, illumque detineat, ne beatitudinem accipiat, quam ſtatim eſſet inſalubriter conſecutus, valde conſentaneum eſt prouidentiae eius, ut eum confirmet in aequiſito iure beatitudinis.

Ad argumenta facta in fauorem ſecundae ſententiae primo modo explicatae, fere reſponſum eſt ex dictis: nam martyrium non eſt per ſe medium ordinatum ad tollenda peccata, & ideo non excludit per ſe loquendo neceſſitatem Baptiſmi & Pœnitentiae: ne-

Ff

ria: ne-

Sententia tenenda.

Vega.

Ad argumta pro dictis: nam martyrium non eſt per ſe medium ordinatum ad tollenda peccata, & ideo non excludit per ſe loquendo neceſſitatem Baptiſmi & Pœnitentiae: ne-

Quo tempore vel momento detur gratia homini non habenti illam & patienti martyrium.

Admain.

Almainus.

Cyrius.

Cyrius.

Sententia.

tia: neque hæc obligatio est admodum difficilis, aut impediens affectum martyrij: nam si peccata memoria occurrant, eorum detestatio potius prebebit animum ad mortem constantius, & alacrius obediam. Quomodo autem sola voluntas martyrij per se non sufficiat, nec satis contineat Dei amorem & detestationem peccatorum, iam ostensum est. Ad ea vero, quæ in secundo membro illius sententiæ adducebatur, respondetur, quod ad attritionem attinet, non esse eandem rationem de baptismo aquæ, & sanguinis: non quia hic sit minus efficax, sed quia non est per se ordinatus ad remissionem culpæ, sicut ille, & ideo etiam per se non excludit necessitatem contritionis. Reliqua quæ in ea sententiâ adducta sunt, non sunt contraria his, quæ diximus. De tertia vero sententiâ iam dictum est, esse probabilem: tamen quia contrariam etiam probabiliter sustinimus, quoad eum casum, in quo est voluntas patiendi martyrium absque vlla alia dispositione: Respondetur, quoad hoc non esse eandem rationem de baptismo aquæ: tum quia voluntas baptismi aquæ non est tam insignis opus, sicut martyrium, neq̃ ita continet aliquo modo amorem Dei & auersionem voluntatis à honore creato: tum etiam quia, licet baptismus aquæ sit ordinarium remedium, baptismus tamen sanguinis est excellentior, & maiora habet privilegia, ut fusè satis declaratum est.

QVÆSTIO LXX.

De Circumcisione, quæ præcessit Baptismum, in quatuor articulos diuisa.



Inde considerandum est de preparatorio ad Baptismum.

Primo de preparatorio, quod præcessit baptismum, id est, de Circumcisione.

Secundo de preparatorio, quæ concurrunt simul cum Baptismo, scilicet de catechismo & exorcismo.

Circa primum quærentur quatuor.

Primo, utrum Circumcisio fuerit preparatoria & figuratiua Baptismi.

Secundo de institutione ipsius.

Tertio, de ritu eius.

Quarto, de effectu ipsius.

Hanc quæstionem interposuit hoc loco D. Thomas occasione sumpta ex analogia, quæ est inter circumcisioem & baptismum, & quia, sicut lex vetus præparauit homines ad legem gratiæ per Christum dandam, ita circumcisio, quæ fuit professio legis veteris, fuit preparatio quedam ad Baptismum, in quo fit legis gratiæ professio. Nobis autem in superioribus necessarium fuit multa de circumcisioem dicere, dum explicarem institutionem veterum sacramentorum, atque eorum efficaciam: & in superiori tomo disp. 15. circa q. 37. D. Tho. tractando de circumcisioem Christi, nonnulla de hoc sacramento attigimus, quæ omnia hoc loco repetenda non sunt: & ideo necessarium non erit specialem de circumcisioem disputationem instituire, nam si quid occurrerit addendum, in Commentarijs articulorum breuiter poterit adnotari.

ARTICVLVS I.

Vtrum Circumcisio fuerit præparatoria & figuratiua Baptismi.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod circumcisio non fuerit preparatoria & figuratiua Baptismi. Omnis enim figura habet aliquam similitudinem cum suo figurato. Sed circumcisio nullam habet similitudinem cum Baptismo. Ergo videtur, quod non fuerit preparatoria & figuratiua Baptismi.

Sup. q. 69. ar. 1. ad 1.  
Et 2. q. 201. ar. 5. cor. ad 1. Et 3. Et 4. d. 1. n. 2. ar. 1. q. co. Et d. 2. q. 1. ar. 2. ad. Et Re. d. 2. q. co. Et l. q. col. 4.

2. Præterea, Apostolus dicit 1. Corinth. 10. de antiquis Patribus loquens, quod omnes in nube & in mari baptizati sunt. Non autem dicit, quod in circumcisioem baptizati sunt. Ergo protectio columna nubis, & transitus maris rubri, magis fuerunt preparatoria ad Baptismum & figuratiua ipsius, quam circumcisio.

3. Præterea, supra dictum est, quod baptismus Ioannis fuit preparatorius ad Baptismum Christi. Si ergo etiam circumcisio fuit preparatoria & figuratiua Baptismi Christi, videtur, quod baptismus Ioannis fuerit superfluus, quod est inconueniens. Non ergo circumcisio fuit preparatoria & figuratiua Baptismi.

Sed contra est, quod Apostolus dicit Coloss. 2. Circumcisioem circumcisioem non manu facta, in expoliatione corporis carnis, sed circumcisioem Christi, consecultri ei in Baptismo.

Respondet dicendum, quod baptismus dicitur sacramentum fidei, in quantum scilicet in baptismo fit quadam fidei professio & per baptismum aggregatur homo congregationi fidelium. eadem autem est fides nostra & antiquorum Patrum, secundum illud Apostolus 2. Corinth. 4. Habentes eundem Spiritum fidei, credimus: Circumcisio autem erat quadam profectio fidei. Vnde dicitur Roman. 4. quod Abraham accepit circumcisioem, tanquam signaculum fidei. Vnde & per circumcisioem antiqui aggregabantur collegio fidelium. Vnde manifestum est, quod circumcisio fuit preparatoria ad Baptismum, & figuratiua ipsius, secundum quod antiqui Patres omnia in figuram futuri contingebant, (vt dicitur 1. Cor. 10.) sicut & fides eorum erat de futuro.

Ad primum ergo dicendum, quod circumcisio habet similitudinem cum baptismo, quantum ad spirituales effectum baptismi. Nam sicut per circumcisioem auferebatur quadam carnalis pellicula, ita per Baptismum homo expoliatur à carnali conuersatione.

Ad secundum dicendum, quod protectio columnæ nubis, & transitus maris rubri, fuerunt quadam figura nostri baptismi, quo renascimur ex aqua figurata per mare rubrum, & Spiritu sancto figurato per columnam nubis. Non tamen per hoc fiebat aliqua profectio fidei, sicut per circumcisioem. Et ideo prædicta duo, erant tantum figura, & non sacramenta. Circumcisio autem erat etiam sacramentum preparatorium ad Baptismum, minus tamen expresse figurans Baptismum, quantum ad exteriora, quam prædicta. Et ideo Apostolus potius fecit mentionem de prædictis, quam de circumcisioem.

Ad tertium dicendum, quod baptismus Ioannis fuit preparatorius ad baptismum Christi, quantum ad exercitium actus. Sed circumcisio, quantum ad professionem fidei, qua requiritur in baptismo, sicut dictum est.

COMMENTARIVS.

Respondet D. Thomas, circumcisioem fuisse figuram baptismi, quam veritatem tam certam existimauit esse Augustinus lib. 1. cont. Cresconium, cap. 31. vt cum hæreticis loquens dicit: Circumcisioem certe præputij in figura futuri baptismi Christi ab antiquis obseruatum esse, negare, vt arbitror, non audeat. Et 6. contra Iulianum cap. 3. Sacramentum, inquit, circumcisioem in figura præcessisse baptismatis, quis, vel mediocriter sacris litteris eruditus ignoret: cui aperitissime de Christo dicit Apostolus: Qui est caput omnis principatus, in quo & circumcisi estis, circumcisioem non manu facta in expoliatione corporis carnis, sed in circumcisioem Christi, consecultri ei in Baptismo. In quibus verbis aperte Paulus baptismum vocat, circumcisioem Christi, non in figura appellans rem figuratam. Quo testimonio vtitur D. Tho. hic in argumento, sed contra: in corpore autem articuli id probat D. Thomas ex analogia inter vtumque sacramentum, & vtiusque munera, nam sicut circumcisio erat suo tempore profectio fidei, ita nunc